

1. Amerbachius, V.,
2. Aurbachius, Am. Guis.,
3. Breithauptus, Am.,
4. Burkard, J.,
5. Erhard, Ch. H., Gantophilus.
- 5a
6. Ducas epistolorum.
7. Heiret, D. F.,
8. Jugler, J. F.,
9. Müllerus, P.,
10. Neubarth, J.,
11. Praetorius, J.,
12. Schoettgenus, Ch.,
13. Vangerow, W. G.,
14. Voltair.
15. Withofus, J. H.,
16. Tabella.
17. Remarques
18. l'art de se marier.
19. 20. Versuch.

F.c 1233

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



ANTIPARA

DOXA CVM DVABVS ORA
tionibus, altera de Laudibus pa
triæ, altera de Ratione stu
diorum, Viti Amer
bachij.



ARGENTORATI
M. D. XLI.


KOEN. BIBL.
DER
UNIVERS.
HALLE.

Varia.

734.

Handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to be organized in a list or table format.





n
n
ft
da
fi
m
an
uo
fe
re
lu
ru
ue
lu



VITVS AMERBACHIVS
Vendingensis, Iohanni Strubio
Stofensi amico optimo
S. D. P.

Cum in his diebus nonni-
hil essem ociosus, & ha-
berem quandam à pu-
blicis laboribus uacatio-
nem, cogitavi, quomodo amicitia
nostram cum testatam facerem pos-
teris, tum uero maxime commen-
darem nostris filiolis, ut aliquando,
siue adhuc uiueremus, siue iam esse-
mus fato functi, & cōtraherent ipsi
amicitiam inter se, & constanter, &
ueris officijs eam colerent, sicut nos
fecissemus, adeoq; turpe sibi puta-
rent esse, cum, ut sapientes recte uo-
lunt, omnia, quæ parentes habue-
runt, in liberis reuiuiscant, & reno-
uentur, si unum hoc paterentur ue-
lut emortuum iacere, & perpetuo
A 2 sepul-

sepultum esse. Idēq̄ a nobis nunc fit
sedulo, ut à teneris ad hoc adsuefiāt,
ac se paulatim diligere, amare, com-
plectiq̄ discant, nostro exēplo, uer-
bisq̄ inducti, & signis quibusdam
non obscuris. Non enim ita sum sti-
pes, aut caudex, ut nihil afficiar ho-
minum congressibus & consuetu-
dine, quod nescio de quo suo Timo-
ne scribunt Græci, nec celebritatē,
frequentiam, aut lucem fugio, sed
habeo rationem cum naturæ meæ,
tum ualetudinīs, & uito, quantum
possum, non modo adulationem,
quod uetus nunc est aucupium, ue-
rum suspicionem etiam adulatio-
nis, à qua natura abhorreo. Nam si
uitium est in adulando & blandien-
do, & recte uoluit Iulius Cæsar, ca-
rere suos tam suspitione, quàm cri-
mine, facile patior ab adulatoribus
aliquando mihi uitio uerti, q̄ con-
spicior Nullis hæerere potentum li-
minibus

minibus, ut Claudiani uerbis utar,
In qua re adeo tecum mihi cōuenit,
ut existimem hanc ingenuitatē non
parum semper ad alendam & reti-
nendam nostram coniunctionem
ponderis habuisse. Præterea multa
sæpe dicuntur, & fiunt hoc tempo-
re in uulgaribus congressibus indi-
gna bonis & grauibus uiris, quæ ut
agrè merito ferunt honesti, ita uale-
tudini, & his uiriculis nostris pluri-
mum obsunt, ut nihil dicā interim
de immodico cibo & potu, qui sanè
uix potest caueri, ubi foris prande-
tur, aut cœnatur, ita, ut non immeri-
to quæsitum sit à quodam, & dispu-
tatum, plus ne gratiæ debeat exci-
pienti cōuiuio ab eo qui excipitur,
an ei qui excipitur ab eo qui exci-
pit. Non inuideo alijs hanc felicita-
tem, qui crebro possunt hominibus
talem suam operam dare, sed uelim
etiam, ut inuidi quidā & calumnia-
tores

A 3

tores mihi non laniarent, ut sic dicam, istam infelicitatem, quæ non est in hac uita nulla, ut sæpe inter nos cõquerimur. Quod quid aliud est, quæ in ulcere unguis, quod aiunt, aut iacentem impellere, quæ est summa crudelitas? Nosti quid mihi nuper à quodam prodigo scilicet contigerit, qui si redierit, non ita inueniet me dissimulatorem & mutum, ut antea, si tamen hoc etiam non aliquando erumpet, ut iudico ne quisdem Christiano ad omnia conuicia tacendum, & omnes iniurias mussitandas esse. Multa, fateor, debemus Reipub. multa communi tranquillitati & ocio, multa benefactoribus & amicis, uerũ ὄσιον, ut recte scribit Philosophus, προτιμαῖν τὸν ἀλίθειον. pro hac debemus depugnare magis, quàm pro aris & focis. Christus etiam uerbis defendit, quantum potuit, suam innocentiam; fecerunt hoc

hoc omnes sancti, cur nō & nos hoc
faceremus? Non eo inficias me pec
catorem esse, ac utinam ita meam
uitam possem instituere ac regere,
ut nec Deum offenderem, nec ullū
pium hominem, aut bonum, sed nō
idem est peccatorem esse, & adulte
rum, aut delatorem. Testor Deum,
& meam conscientiam, quōd non
delectent me rixę, aut contentiones
illiberales, aut acerbe, multo minus
tumultus, arma, aut pugnae. Sed ex
perior quotidie uersantem praeser
tim in publico, nō posse uiuere abs
que huiusmodi malis & molestijs,
cum ne in familia quidem possint
caueri. Hęc est uite humane condi
tio & miseria. Hinc sunt etiam orti
Monachi & Eremitę, non malo stu
dio, sed euentu in posteris. Testor
hoc etiam, neminem esse omnium
hominum, cui non possem, si opus
esset, pro meis uiribus & opibus au

A 4 xilium

xilium ferre, cū non ignorem etiam
ex Philosophia omnes homines in-
ter se quadam necessitudine deuin-
ctos esse, ac ea sanè ratione atq; mo-
do profiteor me omnibus esse ami-
cum, & beneuolum, quantum hæc
infirmetas nostra patitur, & retine-
bo, ac augebo hunc animum, Deo
bene aspirante, per totā uitam. Sed
longe aliud est diuino & Christia-
no more amicum esse, aliud huma-
no & ciuili. Christianus amat homi-
nes, hoc est mirabile opus Dei, odit
uitia, & corruptos mores, hoc est
opus diaboli, & corruptæ naturæ,
homo sæpe nō tam Dei opus amat,
quàm delectatur uitijs, & peccatis
in amicitia. Quanquam nec id ge-
nus amicitia probant sapientes, ac
unum uerum constituunt, quod ut
cōtrahitur uirtute & honestate, ita
his rebus alitur & conseruatur ma-
xime. Et tamen hoc est discriminis
inter

inter hanc & illam Christianorum
coniunctionem, quòd altera nō po-
test existere sine mutua beneuolen-
tia & officijs, ideoq; admodum est
angusta; altera deriuatur ad omnes
& complectitur etiam ofores, inui-
dos, maleuolos, ideoq; est latissima.
Etiam si & hic saepe magis opus est
animo, & uotis, aut precibus, quàm
rebus aut factis. A cea quidem alijs
unde sumi debent, cum non sit nos-
trum propositum in hoc loco talia
pertractare. Quare, mi Iohannes,
cum uoluerim uere, & primi illius
generis amicitiae imaginem in nos-
bis, quantum & communis homi-
num ratio, & nostrae priuatim natu-
rae patiuntur, (fateor enim & hic
multas esse uelut remoras, quae ab-
ducant à perfectione) prelucere no-
stris liberis, non potui facere, quin
aliquo aperto & illustriore indicio
tanquam Mercuriali statua cognos-
cerent

A 5 . scerent

scerent nostram consuetudinem, &
profecto, ut hactenus & sensi, & ex
pertus sum, non uulgarem coniu
ctionem, atq; ad eam se non tantum
referrent, & cōponerent, sed etiam
ut hæreditatem aliquam sibi relictã
putarent olim à nobis, ut spero, iam
putrescentibus, ut nos loquimur.
*πρέπει γὰρ τὸς παῖδας ὁσπερ τῆς ὑσίας,
οὕτω φιλίαις τῆς πατρικῆς κληρονομίης,*
ut optimè Isocrates monet. Precor
autem Christum, ut cōseruet & con
firmet amicitiam nostram, faxitq;
ut fœliciter ad nostros hæredes per
ueniat, cum ad nostram & nostrorū
consolationem, & honestam iucun
ditatem, ut qui adhuc destituti su
mus illis commendationibus, quib;
bus uulgares amicitiaē coeunt, &
durare solent, nec admodū eas affe
ctamus, tum ad Ecclesiæ utilitatem
& sui nominis gloriam infinitam.
Hæc enim debent nobis omnibus
esse

esse carissima, huc omnes nostrae cogitationes, conatus, & studia praecipue spectare debent, in hoc tota mente contendere nos decet, ut gloria Dei celebretur, & quam latissime spargatur, ut optime sit Christianae multitudini, ut nos & nostri liberi & hic pie honesteque uiuamus, & post mortem Christo & Angelis addamur socii, perpetuaque beatitudine cum eis perfruamur. Sumpsi autem ad perficiendum hoc meum institutum Antiparadoxa nostra, quae scripsi annis superioribus, cum aliquanto essem quam nunc sum, ociosior, opus, ut arbitror, non indignum lectione, meorum certe praecipuum, uel eo nomine, quod totum est meum, nec impono tibi onus hic defendendi eius uel contra tineas & plattas, uel etiam contra inuidos & latratores, uerum huius mei laboris fructum, si quis erit, tecum, Strubi, communico, non admodum

admodum sollicitus, stet ne, an ca-
dat. Nō enim hoc est in hominis po-
testate aut arbitrio sitū, sed, ut recte
Martialis inquit: Victurus Geniū
debet habere liber. Aut certe, si po-
terit, stet sua gravitate, aut cadat sua
leuitate, non quōd tuis uiribus, aut
eruditioni diffidā, sed quia soli hoc
amicitiæ tributum uolo, nec aliud
quicquid externum in societatem, aut
cōmunionem eius admitto. Inge-
nium tuū, eruditionē, industriam,
experientiam, & usum in tractan-
da presertim arte Medica, ea iudico
esse, ut non paucis eorū, qui docent
etiā hoc artis genus magnis clamo-
ribus aliquando, & multa ostenta-
tione, & inepto supercilio, præpo-
nenda censeam, non omnino rudis
harum rerum, ut aliquid gloriosius
de me dicam, & Medicorum nō uul-
garium adiutus iudicio. Fortunam
tantū aliquando accuso, quōd tam
sit insana,

sit insana, cæca, & bruta, ut ille ait,
ut nō te quoq; semel benignioribus
oculis, ut ita dicam, aspiciat. Quan-
quam reuera non tam est fortunæ
hicaliqua culpa, quàm tuæ mode-
stia ac uerecundiæ. Sed hæc Deus
curabit, & secundum Deum Prin-
ceps, in quo nobis & nostri simili-
bus nosti magnam semper spem fu-
isse, nec inanem prorsus. Valeant
multum cognationes, affinitates, et
aliæ externæ commendationes, ta-
men uirtutes uincunt tandem, siue
in nobis sunt aliquæ, siue in nostris
erunt olim, siue in alijs quibuscunq;
aut iam sunt, aut olim erunt. Hæc
ita commemoro, non ut tibi addam
animum ad perferendas illas mole-
stias, cum sciam satis te munitū esse
contra fortunæ ac maleuolorum ho-
minum iniurias, adeo, ut non solus
ego sentiam te uere philosophicā,
hoc est, quietam & tranquillam ui-
tam

tam uiuere, ut nihil dicam de Chri-
stiana, in qua non dubito superari à
te plerosq; Theologos etiam, qui se
pe de Christo, & eius uiuendi ratio-
ne tantum uerba, nihil aliud habēt,
pleni ambitione, fastu, contemptu
aliorum, inuidia, simulatione, diffi-
mulatione, & auaricia, ne quid di-
cam durius. Sed ideo commemoro
potius, ut me, cuius animus est ali-
quanto infirmior, consolet, ac decla-
rem uere dictum esse à ueteribus:
Amicorum omnia esse communia.
Quis enim fuit syncerus amicus un-
quam, qui non affectus fuerit amici
incommodis, & tanquā onus com-
mune simul gestauerit? Verū hæc
omitto, & uenio ad excusationem
quandam huius libri, non quidem
quod ad te pertinet, qui nihil minus
probas quàm Stoicorum absurdita-
tes: propter alios, quibus temeritas
ac iniquitas quædam, aut iniuria ui-
debitur

debitur hoc nostrum factum, hæc
suscipietur. Hi si poterunt stultos,
& pueriles affectus de Cicerone de-
ponere paulisper, faciam, ut sentiāt
non tantū hoc mihi exercitiū fuisse,
uerum etiam honestè à nobis hunc
laborem exhaustum esse, multoq;
hanc sententiam esse, quàm illam,
ueriorem. Quanquam hoc est factū
in singulis talibus dictis, aut decre-
tis, quæ à Cicerone in hoc libello,
quē Paradoxa inscripsit, defendun-
tur. Addam tamen hic quædam ini-
tio, ne quis offensus nouitate, sta-
tim resiliat, ac damnet, ut solet fieri,
non lecta, & incognita. Et primo
quidem uelim dicant mihi tales, an
hæc fuerit firma & constans huius
uirī de his rebus sententia, necne?
Deinde, plus ne ualere debeat au-
thoritas, an ratio? Ac fingamus ita
esse animatos, ut sentiant & Stoico-
rum has argutias illum esse ample-
xum,

xum, & plus in authoritate momen-
ti esse, q̄ in ratione. Sed q̄ peruerse,
non est opus longa oratione ostens-
dere, cum & ipse Cicero τὸ δῆτος ἐφα-
grauiter in quodam loco reprehens-
dat, ac semper censeat rationem au-
thoritati longe præferendam esse,
nec aut à se neminem uelit dissenti-
re, adeo, ut ad hoc etiã nos ad eru-
dam et patefaciendam ueritatem in-
uitet, aut in tali aliqua fuerit hæresi,
quæ de rebus certi aliquid assereret,
& pertinaciter in sententia perseue-
raret, ne dicam in oratione pro Mu-
rena grauius Catonem propter hu-
iusmodi sententias & præcepta cas-
tigatum esse, ac omnes in uniuers-
sum repudiatas. Quis enim hæc
nescit? In M. Catone Iudices hæc
bona quæ uidemus diuina, & egres-
gia, ipsius scitote esse propria, quæ
nonnunquam requirimus, ea sunt
omnia nō à natura, sed à Magistro.
Et hæc:

En
se,
n
pæ
n
u
se,
ti
en
in
si,
et,
ie
Au
hu
ca
er
ac
ac
re
ra
nt
o.
c:

Et hæc: Nostri autē illi (fateor enim
Cato me quoque in adolescentia diffi-
sum ingenio meo quesisse adiumen-
ta doctrine) nostri, inquā, illi à Pla-
tone & Aristotele moderati homi-
nes, & temperati, aiunt apud sapien-
tem ualere aliquando gratiam, uiri
boni esse misereri, distincta esse ge-
nera delictorū, & dispares pœnas,
esse apud hominem constantē igno-
scendi locum, ipsum sapientem sæ-
pe aliquid opinari, quod nesciat, ira-
sci nonnunquam, exorari eundem,
& placari, quod dixerit, interdum,
si ita rectius sit, mutare, de sententia
decedere aliquando, omnes uirtu-
tes mediocritate quadam esse mode-
ratas. Item hæc, quæ sequuntur ibi:
Nihil ignoueris, imò aliquid, non
omnia. Nihil gratiæ causa feceris,
imò resistito gratiæ, cū officium &
fides postulabit. Misericordia com-
motus ne sis, etiā in dissoluenda se-

B ueritate

ueritate, sed tamē est laus aliqua hu-
manitatis, In sententiā permaneto,
enimvero, nisi sententiā aliqua ui-
cerit melior. Quid aliud agit in li-
bris de Officijs ex magna parte, q̄
ut hæc præcepta labefactet ac euer-
tat? Quam nō dissimulanter in alijs
innumeris locis improbat ac dānat
hæc Stoicorum inuenta? Sed nihil
opus est lumine in mediā die. Quid
tum postea, dicat aliquis? In Mure-
næ causa necessitati seruiuit, isthuc
flexit, ac attemperauit orationem,
& sententiā, hic serio disputauit.
Quid audio? Quasi uero non esset
graue peccatum non constare sibi,
imò contra illa ipsa præcepta, quæ
nolunt sapientem opinari, mutare
sententiā, & cōmoueri misericor-
dia, hoc est, lapidem esse, uel stipitē.
Nihil itaq; inuenio, quo sit excusan-
dus hic tantus author in hoc, & simi-
libus locis, nisi, quòd aut ita uolue-
rit ingenij

rit ingenij ac eloquentiae vires experiri, de quibus rebus in varias partes disputare, ac inde, quod maxime esset uerisimile, sequi tantisper, dum esset uisum aliter, quod fuit Academicorum proprium, quae ambo non obscure significat in praefatione huius disputationis, aut alio tempore aliud ei placuisse, ac eiusdem sectae more, oblata ratione meliore, mutatum fuisse animum & iudicium. Nemo enim nescit hanc esse humanam sortem & naturam, ut saepe nobis decedendum sit de sententia, nec magis est sapiens ita, ut Stoici uolunt sapientem, quam infans est uir, aut imago est res ipsa. Quod autem hic dicit, hanc sibi orationem ex suo sensu, non ex Stoicorum disputationibus depromptam esse, facit ille quidem suo more, hoc est, Oratorio, ad conciliandam libro auctoritatem, adeoque Academicè, hoc est, liberè, sine iudicij

B 2

ne iudicij ac sententiæ tanquam ser-
uitute aut captiuitate aliqua. Hæc
est mea de Ciceronis disputatione
sententiã, cõmodissima, ut opinor,
& in primis humana. Si cui secus uir
debitur, aut hoc omnino certũ erit,
ac persuasum, quod prorsus ita iu-
dicauerit ille, ut scripserit, ac per-
petuò quidem, uideat, ne in longe
maius periculum Ciceronem addu-
cat, & permittat is mihi uel ex Ari-
stotele maiore etiam Philosopho q̃
Cicero fuit, contra Ciceronem disse-
rere, aut animi & styli gratia nõ tam
Ciceronis q̃ Stoicorum doctrinam
refutare. Nihil iniqui puto me pete-
re, nec in eo, quod facio, uenire Ci-
ceronem uirum in Philosophia &
eloquentia Romana procul dubio
Principem in aliquod discrimen de
ulla parte suarum uirtutum, aut in-
genij. Possem addere plura cum de-
fendendi mei causa, tum ut declara-
rem non

rem nō solum studium ac amorem
summum, quem habeo erga hunc
tantum uirum, sed etiam obseruan-
tiam & pietatem, qua eum comple-
ctor, ut debeo, sed quia satis iam, su-
perq̄ proluxi fuimus in hoc loco,
idq̄ est à nobis factum alibi, & pote-
rit fieri posthac sæpius, desino, ac ro-
go lectores omnes, ut se beneuolos
mihī præbeant, nec in deteriorē par-
tem, quod feci, accipere uelint. Te
uero, mi Compater, cum tuis omni-
bus ita Christo precor esse curæ, ut
quàm diutissimè ac optimè ualeas,
meq̄ ita pergas amare atque com-
plecti, ut hactenus fecisti, utq̄ ego
te amo, & complector unicè. Vale.

Dat. Vitebergę Idibus Maijs,
Anno Domini

1541.

••

B,

ἵτι δὲ μόνου τὸ καλὸν ἀγαθόν.



Ihi profecto semper in bonis esse uisum est et aurum, & argentum, & diuitiae, & honores, & potentia, & quae maxime secundum naturam sunt, honestae, & liberales uoluptates, nec obstant, quae Stoici ad has res eleuandas disputant subtiliter, & argute magis quam uere. Nam, quod dicunt uidere se, desiderari haec ab ijs in primis, quibus copiose illa suppetant, nec unquam satiari posse tales, sed angere in animo, & affligi perpetuo, studentes plura possidere, metuentesque, ne quod iam possident, amittant, facile solui potest. Desiderium enim tantum abest, ut contamine bonum, & impediatur, ut etiam illustret, & promoueat, uirtusque ipsa nec potest acquiri sine desiderio, nec perfici. Quid quod Plato etiam scribit, honesti nullam satiari esse, ac recte quidem: Sicut enim aliarum plerarumque rerum nullae sunt, quae non possint augeti, & crescere, ita uirtuti etiam tantisper dum uiuimus, semper aliquid adijci potest. Hoc autem non potest, nisi uel cupiamus, uel expetamus. Nihil enim interest

terest, cupiatur ne aliquid, an expetatur, modo nō
fiat contra iudicium rectæ rationis. Ac Stoici mihi
uidentur toto, ut aiunt, errare cælo, cum tollunt ex
natura hominis omnes cupiditates, & affectus, atq;
ex homine lapidem potius faciunt, quàm sapientē.
Sed hoc longioris disputationis est opus explica-
re, ad institutum redeo. Reprehendunt illi etiam
maiores suos, quòd bona uocauerint ista imbecilla,
& commutabilia membra pecuniæ, cum tamen re
ipsa declarauerint, & rebus gestis aliud se iudi-
care. Quasi uero præditi omnibus alijs uirtutibus,
& ueritatis, ac posterorum suorum amantissimi,
hoc unum noluerint facere, ut haberent posteri,
quod de rebus tãtis scire, & iudicare certo possent.
Non cadit hæc uel imprudentia, uel inuidia in tam
sanctos mores, & usum rerũ tantum. Sed quid plu-
ribus ago rem manifestissimam? Omnes omniũ æta-
tum populi & nationes bona hæc semper appella-
uerunt. Soli Stoici homines intempestiue sapientes,
ac magna ex parte hostes naturæ, nescio unde exor-
ti prouolauerunt, & commune omnium hominum
iudicium improbare ausi sunt, non sincero amore
ueritatis, à qua sæpe longissimè recedunt, sed uel te-
meritate, uel ambitione adducti, uel immodico etiã
ueri studio. Argumentantur deinde argutè & ca-
ptiose, ut eorum mos est. Dicunt enim, non esse bo-

B 4. nailla,

na illa, quod & noceant saepe, & non efficiant bonos qui possident ea, cum tamen hoc sit proprium boni, ut reddat habentem se bonum, nec alicui noceat. An non est hoc ambiguum, & decipiendi causa excogitatum? Quis enim sanus aut eruditus credit, omnia, quae tenentur, in suam naturam transmutare illa, à quibus tenentur? Aurum habet quis, ergo est aureus: lapideus est, qui lapidem habet. Non ex illis haec sequuntur. Quanquam concedamus hoc ita esse, quod non sint bona, quae non reddant honos habentes ea, An propterea sic bonus est, ut ipsi uolunt, qui habet opes, qui habet firmam (bonam enim quis auderet propter Stoicos dicere?) ualetudinem, qui habet ingenuas uoluptates? Bonus est, uerum suo quodam modo. Confundunt haec ingeniosi homines, & ordinem, ac gradus bonorum à natura factos perturbant, nec intelligunt alibi se de bonis, quae foris sunt & extra animum, alibi de iis, quae intus aut in animo haerent, ex quibus postea quiddam unum creare uolunt. Sit bonus, qui habet facultates, in suo tamen ordine: sit bonus qui bonam habet ualetudinem, non tamen sicut hic, aut qui uirtute est praeditus: sit bonus, qui habet uirtutem, uerum longe aliter, & multo praeclearius quam illi. Solam honestatem dicunt esse bonam Stoici. Cur solam? non etiam animam habemus? An non est haec bonum?

bonum est. Imò uero est, et adeo, ut longe sit uirtute
superior, nisi id, quod per se existit, non est præstan-
tius eo, quod sine alio non potest esse. Quanquam
hic pulchre locum habet, quod Aristoteles nobilissi-
mus Philosophus docet, bonum uarie dici, et non
tantum ad aliud referri, uerum etiam dici et secun-
dum alia, quæ accidant rebus, et secundum ea quæ
alijs non accidunt. Quòd autem dicunt hæc etiam
nocere probis, et ab improbis haberi, alterum non
mirum est, alterum manifeste falsum. Non enim no-
cent, ubi illud supremum bonum est honestas, sed
profunt multipliciter, idq; clamat tota omnium ho-
minum uita, et non est in bonis illis inferioribus
culpa, cum nocent, hominum est culpa. Quanquam
ne nocent quidem, sed homines nocent sibi ipsi, et
abutuntur bonis, quibus poterant rectè et utiliter
uti. Sed omitto hæc, quæ tamen habent illi firmissi-
ma in hac sua disputatione. Colligunt etiam et ac-
cumulant multa exempla, quibus tamen nihil aliud
probare possunt, quàm uirtutem summum esse bo-
num, non hoc etiam, alias res bonas non esse bona,
nisi quem Biantis fortasse factum usq; adeo mouet,
qui fortasse uulpeculam Aesopicam imitatus, no-
luit ea secum ferre, quæ aut non habuit, aut non tu-
tum fuit portare, aut propter aliam causam. Non
enim est uirtus abijcere, aut relinquere pecuniam,
B 5 et alias

Et alias res, quibus uita non potest carere, sed re-
cte eis uti est uirtus. Inde facile intelligi potest,
quam aut sapiens fuerit Bias, quando nihil talium
rerum uoluit secum gestare, aut æqui illi, qui hoc
Biantis factum omnino huc detorquent. Si quis ei
detraxisset etiam uestes, et nihil quicquam præbi-
tum fuisset, quo uel sedaret famem, uel restingeret
situm, quam diu fuisset habiturus ista, quæ secum se
portare dixit? Non molestum est mihi uocari hæc
ludibria fortunæ, modo bona etiam quocunq; in lo-
co aut numero ponantur. Ego uero existimo, sicut
nos ipsi à natura, uel Deo sumus, ita hæc etiam bo-
na à natura, aut Deo esse, et quidem non ideo tan-
tum, ut sint, sed ut nobis sint, nobis inseruiant. Ite-
rum dico, summum esse bonum uirtutem sentire
nos cum Stoicis, et alia quidem, præ ut hoc sit, in-
firma esse, non tamen in suo ordine, ubi satis et fir-
ma sunt, et certa, hoc nec possumus nec debemus
eis concedere, quòd sola sit bonum uirtus. Quæ
enim res in natura adeo simplex est, ut non habeat
suas aut partes, aut formas, aut gradus, et ordines?
Imprudens est hæc, et incauta, nec digna Philoso-
pho ratiocinatio: Virtus est summum bonum, non
ergo est ulla alia res in bonis, ac sola est bonum uir-
tus, perinde, ac si dicerem: Præstantissima uirtus
est iusticia, nulla igitur alia est uirtus præter iusti-
ciam,

etiam, aut nobilissimus animi habitus est sapientia,
non ergo est animi habitus nec uirtus, nec prudentia,
nec ars. Quis ferat ita colligentem etiam in
Stoicorum scholis? Atqui non aliter faciunt, quam
do concludunt falsum ex uero, dicuntque non esse aut
firmam ualentinem, aut formam, aut opes, aut uoluntatem
bonum ideo, quod uirtus in altissimo gradu
bonorum sit posita. An non ipse loquendi mos ad-
monere uos potuit uitiosum esse hoc genus collectio-
nis? Si uirtus est summum bonum, necesse est alia
bona etiam existere in infimo loco posita, alia in me-
dio. Vbi enim summum est, ibi intelliguntur et hi
gradus inferiores. Quae cum ita sint, non est diffi-
le respondere ad illustria, quibus utuntur multis,
exempla. Ascenderit in caelum gradibus rerum ho-
neste gestarum Romulus, non aliorum bonorum:
placuerit Dijs immortalibus Numa pietate, non con-
iuncta cum splendore magis, quam alij sine pietate
sumptuosus uasis ad sacrificandum instructi. Nihil
spectauerit Brutus, cum liberaturus esset patriam,
aliud, quam uirtutem, fecerint idem socij eius in
hoc consilio. Quanquam fortasse gloria quoque mo-
uit eos non parum, et retraxerunt eos a periculis
adeundis, aut tardauerunt aliquantulum coniugium
et liberorum respectus, doloris metus, uoluptatis
incunditas, ac ocij tranquillitas, et securitas uitae.
Non

Non habuerit aliud propositum præter officium
magni & fortis uiri uel Q. Mutius, uel Horatius
Cocles, quando alter in uoluntariam, & certam ac
paratam mortem irruit, alter solus opposuit se toti
hostium exercitui æque cum magno periculo. Præ
dicetur pietas in patriam Decij, quam pietatē etiā
uite suæ iactura tanquam confirmauit. Addatur, si
libet, filius, qui postea patrem imitatus est, ac idem
beneficium patriæ præstitit. Sumatur ad idem con
tinentia Fabricij. Dentati quoq; similis uirtus mon
stretur hominibus spectanda, & magnificianda.
Vehantur uel in cœlum usq;, ut digni sunt, non so
lum duo, sed omnes clari Scipiones, quorum duo in
Hispanijs pro patria mortem oppetierunt, alteri
duo multa ingentia quoq; beneficia cū summis suis
periculis & sudoribus contulerunt in patriam.
Appellentur præsidia & propugnacula belli Pu
nici, Reipub. muri, & mœnia, patriæ ornamenta,
ac lumina, patiar his omnibus addi Catonē & prio
rem & posteriorem, cunctosq; alios, quicunq; fue
runt in illa Repub. pulcherrima excellentes. Si per
mitterent ipsi, adderem ego Iul. Cæsarem. Sed
omittamus istos, qui à plerisq; creduntur oppressisse
Rempub. De illis tantum, quos ipsi ad hoc prædi
cant, nos quoq; magnificè loquamur, & existimes
mus unā cum eis perpetua illos gloria & immorta
litate

litate dignos esse. Quid tum postea? An propterea
nullis rebus alijs opus habuerunt? nulla alia bona
censuerunt esse, quod uirtutis causa hæc omnia fece-
runt, ac eam in fastigio honorum collocandam duxe-
runt? An propterea cibo, & uestibus, non usi alijs
rebus sunt, ædificijs, amicis, pecunia, militibus,
equis, comæatu, & reliquo apparatu bellico? Vbi
quidem sunt, uerum non habuerunt ea pro bonis,
& ludibria fortune sunt, non bona. Quoties mihi
audent illi dicere, non esse habenda in bonis alia, nisi
si uirtutem, quod non sunt ipsa uirtus, aut quia uir-
tus longè debeat eis præferri? Ponamus ad solam
uirtutem & honestatem natum esse hominem, &
reliqua omnia, quæ illi nominant fortune ludibria,
causa uirtutis ei addita, ut quædam portiuncula.
Quid autem? Ideo ne boni appellatio eis est detra-
henda? cum sit propriè bonum, ut hic disputatur,
quod alicui conducit, aut usui est. Domus Archite-
tonicæ finis est, ac propterea uelut summum eius
artis bonum. Quis nunc est tam iniquus, aut rixosus,
aut stupidus, qui latrinulam, imbricem, aut cel-
lulam uinariam, aut promptuariam, aut similem ali-
quam particulam bona esse neget, quod possit esse
domus sine uel una illarum, uel etiam pluribus? Aut
ut commune omnium hominum iudicium non con-
temnamus, quia splendida ædificia quis habet, ha-
bet in-

bet ingentia auri & argenti pondera, non inter bona eius numerari debent uiles seruuli, prædiola, boves, aratores, agelli, aut similes res, quas omnes iurisconsulti homines, si non sapientes, certè non stulti, & magno usu rerum multa edocti, in bonis esse dicunt, imò totum genus humanum, solis exceptis Stoicis, qui cœlestem hanc sapientiam inuenerunt primi, nulli ante ipsos notam? Quis negat hominẽ esse quoq; eum, cui digitus aut articulus aliquis desit? Et tamen, qui digitum non habere ullum momentum ad hominis naturam dicat, ne lixa quidem, aut fossor inueniatur. Eodem relabuntur, & eandem uelut cantilenam cantant, quando quærent, & quidem magnificis uerbis, utrum quis malit similis esse horum alicui, qui habeat diuitias, & alia, quæ dicantur bona, an uero Fabricio, qui non habuit, nec curauit, ut haberet illa. Faciunt enim, ac si quis interrogaret uel ex plebe hominem, malit ne habitare in syluis apud feras, an in urbe apud homines, aut homo ne malit esse, an bestia? Non, quia malimus illa, hæc nihil expetendum habent. Quamquam non constant sibi. Cum enim dicunt, facile adduci posse alios, ut credant inter bona habenda nõ esse, quæ huc illuc transferantur, & instabilia sint. Verum à uoluptate non abduci eos posse, qui habeant eam, & defendant pro summo bono. Hic de
summo

Summo bono dicunt, ibi de quolibet bono. Quasi
uero tunc cum Epicuro eis res sit, aut hic dispu-
tur, sit ne aliud summum bonum quam uirtus, &
non potius, utrum sint & alia bona praeter uirtus
tem, et ita quidem bona, ut habeant suum quoddam
pondus, quantumuis leue, ad felicitatem. Quero
ab istis, qui haec tam pertinaciter defendunt, si ali-
quis sensus relinquatur post mortem, & anima per-
petuo uiuat, quod magni Philosophi crediderunt,
in qua re sit uel sensui, uel animae futura tum beata
uita? in uirtute ne potius, an in aliquo alio? Virtus
adeo locum non habebit in illa uita incorporea, ut
uoluptas etiam liberalis, et ingenua quaedam ibi sit
potius summum bonum, uel summi boni pars futu-
ra, quam uirtus. Virtus enim in ea parte animae est,
quae non potest absq; corpore existere, & quidem,
ut recte Aristoteles docet, infima est, & nobis cum
pecudibus communis. Voluptas uero illa animi, non
enim ad corpus tantum referenda est, cum sola men-
te, si qua remanebit de nobis mortuis, esse potest.
Quero etiam ab iisdem, in quo consistat Deorum
beatitudo? (nam beatos esse Deos propemodum
omnes fatentur.) In uirtute ne, an in uoluptate illa
praestantiore, an uero aliud sit, quod illos beatos
efficiat? In uirtute non possunt dicere, cum non ha-
beant corpora Dij immortales: aut igitur in uolu-
ptate

plate aliqua, aut in contemplatione, ut Peripatetici uidentur uelle, constituent Deorum felicitatem, & animorum humanorum post hanc uitam, necesse est. Nunc si apud uere & perfecte beatos ne quidem uirtus est proprie, quæ est adeo magna absurditas, coniungere alias res cum uirtute, ad constituendam huius uitæ felicitatem? Illi enim ipsi ponunt maxime animorum perpetuitatem, & uiuere nos post mortem uolunt. Sed dicunt, de felicitate huius uitæ est disputatio, non de animorum felicitate. Ad quod non est difficilis responsio. Tametsi enim non coniungenda esset utriusque uitæ beatitudo, quod ipsi faciendum esse censent, non tamen ideo fieret absurde, si copularentur alia bona cum uirtute, ad efficientiam beatæ uitæ, siue diceretur deinde bestia cum homine coniungi, siue aliud contumeliosius, ut Stoici putant, cum in homine sint duæ partes, altera communis cum bestiis, altera cum Dijs. Atque ita uere in nobis sit bestia coniuncta non cum homine, sed cum Deo etiam, aut diuino quopiam. si, quod maxime contendunt, mens est ex diuina natura. Nunc ita sunt hæc duo coniuncta, ut separari nullo modo possint, quatenus manet in nobis hominis natura, nec homo dicitur anima post mortem. Quæ itaque est iniquitas apud Stoicos, qui tamen tanto opere pro iusticia dimicant, aut potius incogitantia, ut felicitatem tribuant

tribuant homini, non pro eo, quod est homo, sed
pars uel hominis, uel naturæ diuinæ, lacerentq;
alios, nec tribuant, quod iusticia præcipit in primis,
homini totum suum bonum, sed imperfectum, &
mutilatum. Quanquam ut sæpe iam est dictum, uir-
tuti recte altissimus locus datur, & primus ordo in
bonis. Nihil igitur uetat coniungere cū uirtute uo-
luptatem, diuitias, bonam ualitudinem, & pleraq;
alia, statuereq; nō simplicem felicitatem, cum ne ho-
mo quidem simplex sit natura, sed composita ex ijs
rebus, quæ toti homini sunt necessariæ. Quæ addun-
tur in hac disputatione de uirtutis laudibus, & re-
prehensione uoluptatis oratione magnifica, nihil
admodum ad nos pertinent, ut qui non ponamus uo-
luptatem summum bonum, nec adeo multum uolu-
ptati concedendum arbitremur, illi præsertim cor-
poris. Non enim reprehendi potest illa delectatio,
& gaudium animi, quod nascitur ex rebus hone-
stis, & cū eis coniunctum est, imò suam etiam quati-
dam laudem habet, & quidem magnam. Sic enim
coheret cum honestis actionibus, ut non possit ab eis
separari, & hoc efficit, ut facilius & expeditius ac-
perfectius faciamus, quæ facimus honestè. Ad id
hoc etiam, nec uoluptatem corporis reprehenden-
dam esse perpetuò. Non enim per se est mala, sed fit
mala, quando nō recte utimur ea, sicut in rebus alijs
C præter

præter uirtutem fit. Nam, si uita est bonum, & uoluptas mediocris adiuuat & confirmat eam, in quo Physici omnes consentiunt, non potest hæc etiam uoluptas non esse bona. Imò quid aliud est continentia magna uirtus, quàm uoluptatum & cupiditatum modus? Sic enim nõ est fortitudo metu carere, alioqui enim & saxum haberet fortitudinem, sed moderatio metus, ita non est continentia nullis uoluptatibus uti, sed rectè eis uti. Quid simplicius aut plinius potest dici de his rebus? Cum itaq; satis hoc sit ostensum, non solum uirtutem esse bonam, sed illa etiam, quæ ludibria fortunæ appellant, discedamus à Stoicorum intempestiua & absurda sapientia, conferamusq; nos ad Peripateticam illam, quæ & expeditissima est, & uerissima, nostraq; uita & nature conuenientissima.

ὅτι ἂν αὐταρκῆς ἢ ἀρετὴ πρὸς
δυσκλιμονίαν.

Ego uero non possum aliter cogitare aut sentire, quàm quòd ærumnosus, infelix, & miser fuerit M. Regulus. Et si enim non animus eius, non fortitudo, non grauitas, non constantia, non fides, nõ etiam iusticia, non continentia, aut ulla deniq; alia uirtus affligebatur à Carthaginensibus, nõ tamen omnino mali,

mali, aut acerbi, pugnansq; cū natura nihil patiebatur, cū totum eius corpus laceraretur, & miserabilibus uigilijs ureretur, nisi nō putamus ad hominis naturam pertinere corpus, & animum esse totum hominem credimus, quod etiam uulgus absurdū esse iudicare potest, nedum tanti Philosophi, qui sibi uidentur soli ueritatem eruisse ex natura, & somniāt se habere sapientiam perfectam, & perpetuam cū simili quadā beatitudine, cui nihil desit, quæq; perpetuò duret, nec adiri aut excuti possit, quantumuis interim totum genus humanum contra sentiat, & clamitet nihil esse ab omni parte beatum, neminem sapere omnibus horis. Sed non est mirum hoc eos censere, & docere, cum multa alia doceant absurda, inter quæ et hoc est, in quo infirmo nunc uersamur, uirtutem, ut, qui habent, perfecte beatus sit, nec indigeat amplius ulla alia re aut bono. Sed nos meminimus, ut dictum est, hominem esse non tantum animum, sed compositum ex animo & corpore. Quare metiendam esse felicitatem ex corporis etiam natura, non solum ex animi ratione. Ita enim tota erit, & integra, si totius habebitur ratio, non tantum partis. Quod quia non faciunt illi, non omnibus suis numeris constituunt beatum uirū, sed lacerum, & mutilatum ponunt, & hominibus persuadere et obtrudere pro integro uolunt. Quid

C 2 quod

quod ita coheret & copulatum est tam arctè cor-
pus cum anima, ut non possit affici, aut pati aliquid,
nisi unà afficiatur animus, & patiatur. Sicut econ-
tra cum patitur animus aliquid, patitur simul &
corpus. Quod si ita est, non uideo quomodo beatus
possit esse is, cuius corpus dilaniatur miseris modis,
sicut Regulo apud hostes accidit, & multis alijs,
qui propter uirtutem nihilo minus beati fuisse ta-
men à nonnullis dicuntur. Quod quidem ferri ut-
cunq; possit, nisi adderent perfectè & absolute.
Non ignoramus quantum tribui debeat uirtuti, &
quàm exiguum sit, quod reliqua ad beatitudinem
conferunt, si uirtuti comparentur. Sunt enim ordi-
nes & gradus bonorum, & in summo loco uirtus,
tanquam in theatro aliquo collocata est. Sed quem
admodum uirtus ad corpus non pertinet, sic non fa-
cit aliquid ad felicitatem hominis, quatenus ille cor-
pus habet, & ad illud sustentandum multis rebus
opus habet. Atq; ita non tantum hoc decretum illo-
rum corruit, sed quod etiam magnificè de sapien-
tia & beatitudine dixerunt. Testatur enim hoc &
ipsa experientia, & commune omnium hominum
iudicium, nec sapientiam esse perfectam, nec felici-
tatem, & neutram perpetuò sibi similem esse, ac
semper durare, nunquã imminui, aut intercidere.
Vnde enim hæ uoces ab ipsis etiã defensoribus horũ
dogmatum



dogmatum aliquando missa? O me infelicem, O me
frustra unquam sapientem, & nihil nisi diuinare
est sapientem esse. Quare non est quod mihi iactes
Regulum ita, quasi perfectè fuerit beatus in tormen-
tis, & illis tantis cruciatibus. Beatior quidem fuit,
quando sustinuit tantos dolores cum uirtute, quam
fuiisset, si mansisset in patria contra fidem datam, et
suauissimè uixisset cum coniuge, cum liberis, cum
propinquis, consularis, in magno honore & digni-
tate. Non enim facimus cum Epicuro, qui solam uo-
luptatem contendit summum esse bonum, & in ea
beatam uitam consistere, quod necesse fuit addere,
siquidem in summo bono constituit felicitatem. Sed
non aequè fuit beatus ille, quam fuiisset, si in illas cala-
mitates non incidisset. Ac unde putas tantas mise-
rias extitisse in Regulo, et multis alijs præstantibus
uiris, hodieq; sæpe existere, nisi, quod nulla sit abso-
luta uirtus, & talis, qualem Stoici somniant, in ho-
minis natura? Hoc enim docet omnis ratio, & cla-
mat ipse natura bonis debere benè esse, malis malè.
Quare non fuit beatus Regulus, & sicut uirtutis
tantum imaginem habuit, ita beatæ uitæ nõ corpus,
sed tantum simulachrum habuit. Et nescio, an fue-
rit ambitiosus etiam, & crudelis in se ipse eo, quod
præter necessitatem redierit ad tam atrox suppli-
cium, cum potuisset honestè elabi, redditis captiuis,
C 3 quod

quod uolebat & cupiebat Senatus facere. Leue enim est, & indignum sapiente & prestanti uiro, quod dixit se nunc senem esse, & propterea non multum posse Reipub. prodesse, hostium uero captiuos etate & uiribus ualere adhuc. Quasi uero non plus consilio senes adiuuent Respublicas, quam iuuenes robore aut uiribus corporis, & non plus in uno sepe uiro positum sit, quam in sexcentis alijs, nec debeat uiuere cum periculo & incommodo patrie non modo exiguo, sed etiam incerto, ac interim cum certo detrimento mori, tantus presertim princeps, & tam bene de Reipub. meritus, ut iam non Regulus tantum uideatur mihi ea ipsa re, quae tantopere predicari solet, peccasse, uerum ipse quoque Senatus, qui non ei sua auctoritate resisterit, & tantam seuitiam prohibuerit, nescio qua persuasione inductus. Sed nolim haec me odio uirtutis uideri dicere. Amo enim uirtute, ut qui maxime, nec ei quicquam praefendum censeo in hac praesertim uita, & in hac naturae nostrae imbecillitate, crudelitate tamen non amo, ambitionem, & similia mala, quae sepe nobis imponunt specie uirtutum, non amo, aut certe si erro, uenia mihi debet dari. Ita enim iudico, & ingenuum est non dissimulare animi sententiam & iudicium. Non potuit Reguli animus cruciari. Et C. Marius fuit beatissimus propter suam fortitudinem

fortitudinem. Illud cōcedi aliquo modo potest, quan-
quam non frustra magni uiri crediderunt, cum affi-
ciatur animus, unā corpus etiam affici, & corpus
etiam ad hominis naturam et substantiam pertinet,
ac ita quidem cohæret cum animo, ut ab eo, quā-
diu manet homo, separari non queat. Hoc non item
concedi potest, cum de alijs etiam uirtutibus eadem
ratione dici possit, nec statim alias quoq; uirtutes
habeat, qui unam aliquam aut duas habet. Adde
quòd ipsi etiam eundem Marium tandem factum
infelicem narrant. Quod non accidisset, si fuisset
perfectè aut sapiens, aut beatus. Adeo non consen-
tientiā sibi dicunt aliquando homines maximè hoc
in alijs reprehendentes. Sed hoc non est mirum.
Disputatur enim de rebus grauissimis sæpe nimis
argutè & subtiliter, nec ab hominibus omnino con-
temnentibus gloriam, & ingenij laudem. Mihi qui-
dem, ut nihil dissimulem, uidetur talis contentio fu-
isse olim inter Philosophos de beata uita, qualis est
inter Theologos de iusticia perpetua, & uita eter-
na. Ex illis enim alij solam uirtutem efficere beati-
tudinem uoluerunt, alij uirtutem coniunctam cum
reliquis bonis, alij uoluptatē solam, alij scientiam,
alij uero indolentiam. Fuerunt etiam qui adderent
uoluptati uirtutem, & qui adderent eandem indol-
entiæ, ut omittam Pyrrhonem, Aristonē, Herillū,

C 4 quorum

quorum alie fuerunt de hac re sententia. Theologi non minus uarij sunt. Nam hi in sola fide ponunt iusticiam, illi in solis operibus. Multi coniungunt opera, ut uocant, cum fide. Alij certa ad hoc opera sumunt, & eorum, quidem alij alia. Verum, ut ex omnium sectarū Theologis iudicantur optime disputare, qui aut solam fidem dicunt esse causam salutis æternæ, aut qui hoc tribuunt fidei uelut stipatæ & cinctæ bonis operibus: Ita inter Philosophos maxime consentientia naturæ dicunt, qui uel in sola uirtute collocant felicitatem, uel in uirtute sic, ut alijs bonis etiam locum dent. Est autem illorum uerbis utendum, ut res possit intelligi. Vtri autem rectius doceant, nō huc pertinet explicare. De Philosophis quod sentio, liberè dicam: Non sunt homines in hac uita, nec felices, nec perfecta uirtute præditi. Non enim habent sapientiam perfectam, quam facere dicunt, ut simus beati, satis certe imprudenter, cū & uirtuti hoc idem tribuant, nec eadem res sit uirtus & sapientia: Nam altera magis intellectui est coniuncta, altera uoluntati, aut appetitioni, quod etiā ipsæ appellationes uidentur, si diligenter & rectè considerentur, significare tum apud Græcos, tum apud Latinos. Quod si haberemus perfectam uirtutem, haberemus etiam perfectam beatitudinem, hoc est, & ipsa uirtute frueremur, & alijs bonis non modo

modo animæ, uerum etiam corporis, & non quicquam deesset nobis, omniumq; rerum necessariarum haberemus copiam & affluentiam. Non enim est ratio, cur boni & honesti uiri, absolutamq; uirtutem habentes, crucientur paupertate, exilio, carcere, captiuitate, morbis, & alijs infinitis malis, nisi Deus sit iniustus, aut potius nullus sit Deus, aut nihil curet res mortalium, sed impetu quodam incerto & uago, tanquam nauem fluctibus & tempestatibus sine gubernatore sinat ferri omnia. Nunc autem & est Deus, & regit omnes mundi partes mirabili prouidentia, non unam tantum. Vnde ergo est, quod uiri, quos pro bonis & honestis habemus, & rectè quidem cum boni rationem habeat etiam id, quod malum est, si comparetur cum deteriore, tam miserabiliter affliguntur sæpe, aut certe non possunt in hac uita effugere multa et grauiamala? Non puto ex alia re, quam quod non habent perfectam uirtutem, sed imaginem tantum, & utcunque adumbratum simulachrum uirtutis. Nihilominus tamen inquit aliquis, in uirtute poni debet felicitas, idq; tu ipse hac oratione confirmas. Si ita in uirtute felicitatem ponendam censes, ut non separes ab ea reliqua bona, facile patiar me adduci in tuam sententiam. Si uero sic statuis, quod felix quoq; sit is, qui conflictetur cum cœcitate, cum alijs cruciatibus

C 5 bus cor

bus corporis, cum ingratitude suorum ciuium,
cum perfidia propinquorum, non possum persuade
ri, ut tecum sentiam. Quamquam cum uirtute sunt
coniuncta reliqua bona, & tam prope comitantur
eam, quam umbra corpus, aut ternarium numerum
imparitas, ita, ut docet Plato in quodam loco. Siue
igitur soli uirtuti felicitatem demus, siue unam cum
uirtute reliquis, nihil est absurdi, aut incommodi,
modo fiat hoc ista ratione, qua dixi, & uirtus uelut
fundamentum eius rei ponatur, aut substantia, reli
qua sint tanquam uiles aliquae partes aedificij, aut
ea, quae sic annexa substantiae, ut ab ea seiungi ne
queant. Encomia, quae addunt uel suae uirtutis, uel
aliorum, & reprehensiones libidinum atque cupidi
tatum, nihil offendunt. Neque enim uel Antonij tur
pitudinem, aut uitia probo, & uirtutem maximis lau
dibus dignam existimo, existimaturus dignam maioribus,
si omnes suos numeros haberet in cuiusquam hominis
natura. Sed cum satis de hoc decreto Stoicorum clare
sententiam nostram tulerimus, ad alia nunc ueniendum est.

ὅτι οὐκ ἴσα τὰ ἀμαρτήματα.

Sunt enim peccata non solum uitij hominum me
tienda, sed etiam euentu ac usu rerum, & sicut res
in quibus tractandis animus uersatur, uariae sunt,
ita quoque

ita quoq; peccata sunt uaria, nec est unum quiddam
peccare, ac simplex. Quod ita esse clarè poterit in-
telligi, si rem paulo diligentius inspexerimus. An
peccata non sunt usus à medio discedens, & pecca-
re est aliquid agere? Usus autè uel tractatio nonne
crescere & minui potest? Quid? non solet agere
alius alio debilius, alius alio perfectius? Hoc autè
quid est, si non est imparitas? Idq; cum multa alia,
tum consuetudo hominum, & sermonis ratio pro-
bat, quæ certe non sunt contemnenda. Non enim
est uerisimile unum Zenonem, aut aliquem alium,
& postea paucos quosdam, qui sunt illum secuti, ue-
rum uidisse in re tanta, & tam usitata inter omnes
homines. Quid autem iudicant homines ex maxima
parte? nõ esse pariter malos, qui sunt mali, sed esse
qui sint minus mali, esse etiam qui sint mali magis.
Dari potest, quod aiunt, nauem paleæ quis guberna-
tor euertat, an auri nihil interesse in gubernatoris
inscitia, uerum non & hoc dari potest parem insci-
tiam esse magnã, aut paruam, multis remis aut pau-
cis instructam, magnum onus aut paruum portan-
tem nauem euertere. Ac sanè prorsus multũ etiam
ad artis rationem & materia, quam tractat ars, &
pleræq; omnes circumstantiæ faciunt, ut ars aut
maior sit, aut minor, aut præstantior, aut uulga-
tior. Quid? quod in eadem materia aut circumstan-
tia alia

tia alia perfectior est ars quam alia: nec indiget
hæc res longa disputatione, per se nota est omni-
bus, & fiet iam nunc etiam notior. Non sit magnū
discrimen, lapsus aliquis sit in uitanda nobili an-
paupere muliercula, quanquam hoc manifeste cum
iusticie parte pugnat, quæ in quadam distributione
uersatur, & consideratione eorum, quæ rebus acci-
dunt. An par est libido, & incontinentia peccare
in deformi anicula, & puella formosa & blanda?
Manendum est in hoc exemplo. Si maior est uirtus
cohercere cupiditates, quæ oppugnantur multis et
uarijs illecebris, ut est sine dubio, quid uetet maius
esse uitium labi, ubi pauca, & languida, aut ferè
nulla illecebræ tentant animū? Inebriatus est ado-
lescens aliquis, tumultuatus est noctu per plateas,
effregit fores, pulsauit obuios negligenter educa-
tus, relictus à parentibus sine custodibus in peregri-
na ciuitate, stertentibus etiam Magistratibus, ille-
ctus sodalitis deprauato, in quod casu incidit, accen-
sus uino, peccauit ille, & grauius quidem: faciat
idem senex, Princeps ciuitatis, uersatus inter bonos
& moderatos homines à prima pueritia, nulla nec
iniuria nec sodalitate inuitante, tantum animi libidi-
nibus incitantibus eum, peccauit hic etiam, at multo
quam ille grauius. Et hoc ne ipsos quidem Stoicos
negaturos existimo. Prodeat in publicum aliquis
uir grauis

uir grauis, doctus, ornatus dignitate et honoribus,
saltet, cantillet, idem in conuiuio faciat, non inter
malos uiros, minus tamen graues, & rogantes eū,
exhilaratus non nihil inter exhilaratos uiuo. Vtro-
biq; est peccatum commissum, in conuiuio tamen nō
parum leuius quā in publico. Hominem occidere
flagitium est, sed multum refert quem occidas. Pa-
trē occidisti, nonne grauius patrauisti scelus, quā
si occidisses iniuste quoq; seruum? Hic & ipsi uicti
à natura, nescio quid argutum, inane tamen commi-
niscuntur. Dicunt enim aliquando parentem sine
scelere occidi posse, & seruum sine iniuria occidi
aliquando non posse. Quasi hoc ignoremus, & nō
illud queratur. Vtrum, si cætera sint paria, patrem
occidere peccatū sit maius, quā occidere seruum.
Quanquam hic etiam dicunt causam hæc distingue-
re, nō naturam, eamq; id, cui accesserit facere pro-
pensius, flagitium, credo, grande commissuros se
putantes, si grauius aut maius dicerent, & tamen
hoc non satis explicant. Nam interest eadem causa
utriq; sit, an diuersæ, aut par momentū habentes,
aut impar, quod ad peccandi rationem attinet. Po-
test enim fortasse par fieri peccatum, interficere pa-
trem, & seruum interficere, sed eadem causa præ-
grediente, aut etiam ad prius illud leuiore, non po-
test esse peccati æqualitas. Adijciunt & hanc expo-
sitionem

sitionem coacti magna absurditate rei, multa peccata
ri in patre necando, in necando seruo tantum semel.
Quæ est hæc Philosophia? numeri possunt impari-
ritatem concedere, magnitudinis non possunt. Quan-
to melius noster Terentius, duo cum idem faciunt?
Notus est locus. Atque sic planum esse reor, non tan-
tum diuersitatem personarum efficere, ut peccata
sint dissimilia, sed ipsarum rerum diuersitatem, in
quibus delinquitur. At nunc desinere poteramus,
contenti uelut uictoria sine sudore & sanguine, nisi
& alijs argumentis argutioribus et speciosioribus
usi ad hanc absurditatem orbi terrarum persuaden-
dam essent. Quanquam & illa infirmare & euer-
tere, non admodum erit opus multis probationibus
& anxie cogitatis, aut ualde prolixa oratione.
Hic enim noster sudor est, hic noster sanguis. Nec
tam nobis uictoriam adipisci, quam Reipub. ut bo-
ni milites ac duces facere debent, hoc est, ueritati
studemus. Peccare est, inquiunt, tanquam transili-
re lineas. Omitto nunc dicere, quod non eadem sit
omnium uitiorum natura, sed differre à se, ut for-
mam à forma, ideoque non posse peccata, quæ inde
oriuntur, esse paria. Dicam hoc potius, & oppo-
nam similitudinem similitudini. Peccare est uelut
transire latum campum, in quem tamē intrare etiā
prohibitum sit. Quorum posterius cū feceris, culpa
commissa

commissa est, uerum non tanta, quanta, si alterum
fecisses, ac transcurrisses totum spatium. Mandatum
est mihi à Magistratibus, ut progrediar obuiam
redeunti ex bello Imperatori ad decimū lapidem,
perueni tantum ad quintum, ibi substiti, ad fratrem
diuerti, cum eo uino nonnihil & consabulationi-
bus incalui, mansi, donec aduētare Imperator, ac
curri, deduxi eum unā cum cæteris. Est mandatum
hoc idem alijs, ne quidem egressus ille ciuitatem est.
Vter magis peccauit? pariter utriq; dicit Stoicus.
Egō ne tantum peccaui, qui partem mandati execu-
tus sum, & quidem ne reliquam exequerer nonnul-
lā causā, aut irritamenta me tardarunt, quantum
peccauit is, qui nullare impeditus, domi desedit,
nusquam pedem, atq; ex mero Magistratum con-
temptu? Delicta non euentu rerum, sed uitijs homi-
num aestimantur, & peccare est uelut lineas trans-
gredi. Quousq; audent hoc mihi dicere, & uelut
eandem cantilenam crebro occinere? Demus nunc
uerum esse, tantū ex uitijs hominum metienda esse
peccata, an ideo peccare est tanquam transgredi li-
neas? hoc est, peccatorum non aliud alio minus aut
maius esse, cum uitia hominum non sint æqualia, sed
incrementa sua quædam, & diminutiones habeant,
ut aliæ res similes? Quod autē ex humanis animis
alijs sint, quàm alijs, corruptiores, aut uitiosiores,
propemodum

propemodum satis est demonstratum. Sed ut paulò
fiat res clarior, sumamus etiam Aristotelis similitu-
dinem: Qui certant iaculis, non pariter omnes pro-
pè ad scopum accedunt, & quorum iacula propius
scopum hæserunt, minus imperiti: quorum longius
à scopo recesserunt, minus periti iudicantur, & re-
uera esse, quis non uidet? Quanto est hæc similitu-
do aptior, quàm illa Stoicorū de lineis? præsertim
isto modo adhibita. Nam si lineas mediū statuis-
sent, & reliquissent inæqualitatem in ijs, quæ ambiunt
medium, nihil differret ab Aristotelis similitudine
Stoicorum hæc similitudo. Sed pergunt suam opi-
nionem inopinatam defendere. Virtutes sunt pares,
aiunt, ergo uitia quoq; sunt paria. Non est planum
adhuc uirtutes omnino inæqualitatem non recipere.
Quanquam enim una est in unoquoq; genere
uirtus perfectissima, quod idem de uitio rectè etiam
dici libenter fatemur, tamen haud ideo non esse uir-
tus uidetur habitus, qui parum ab illa remotus est,
præsertim consideratus ad eū, qui longius recessit,
atq; cum unum sit medium, seu una perfectio, spa-
cium tamen circa medium est infinitum, & alia qui-
dem eius pars est medio, quàm alia, propinquior,
alia remotior: Imperfectionisq; sunt infiniti gra-
dus, qui ab illa nõ eodem interuallo distant, & quo
longius recedunt à medio, seu perfectione, eò pro-
pius acce-

pius accedunt ad alterum extremum, donec uitio-
rum potius naturam accipiant, quam retineant uir-
tutum. Nihil hic medijs, & extremorum differentia
me ualde mouet, cū facile possent cōciliari. Nō dico
bonū uirū esse, qui depositā mediocrem pecuniā red-
didit, cū retinere eam sine ipculo potuisset, magnā
non reddidit, sed minus malum esse affirmo, quam
eum, qui utranq; retinuit fortasse etiam bonum, si
comparatur cū isto, qui neutram reddidit. Sic etiā
de temperanti, & intemperanti, forti & non forti,
liberali & illiberali dici potest. Adeo sine col-
latione, & gradibus hæc res non existit, quod etiam
pluribus uerbis explicarē, nisi ex ijs, quæ ante sunt
dicta, prorsus planum, & probatum esset. Eodem
spectant, quæ adduntur de recto, & eandem ha-
bent infirmitatem. Etsi enim rectum fortasse unum
sit, ac simplex, tamen de curuo non idem statim tri-
bui potest. Ac, ut dictum est de uitijs, ita curua etiā
inter se collata, recti rationem aliquando subeunt.
Quod si curuum quoq; aliud alio magis, aut minus
non est, non est etiam aliud alio frigidum magis, aut
calidum: Eiusdem enim sunt generis, nec ratio, cur-
aliter esse debeat in altero, quam in alio, dari po-
test. Nunc omnes hoc uno uelut ore testantur, gra-
dus, & incrementa, ac diminutiones in calido, &
frigido esse. Quanquā sunt extrema quedam in
D illis

illis rebus omnibus, quibus nihil addi queat. Sed non
ea, quae in medio sunt collocata, gradibus carēt, ma-
gisque inter se, aut minus hoc esse dicuntur, et sunt,
quod est in extremis. Non paulo rectius Plato, qui
tamen à plerisque defensoribus huius sententiae magni-
fit, à quodam etiam tanquam numen colitur, paucis-
simi sunt optimi, ac pessimi, plurimi uero mediocri-
ores homines. Fecit enim natura ipsa haec discrimi-
na, et interualla rerum, quam qui sequuntur, nun-
quam errant. Verum tamen est hoc, si posset per-
fectum aliquid esse in hominis natura, eadem esset om-
nis uirtutis ratio, et quidem in nullo homine esset ui-
tium, pariter omnes uirtutem illam perfectam haberent.
Nunc autem, ut Poeta inquit, et experientia testa-
tur, unicuique dedit uitium natura creato. Et ne quis-
dē Stoicus quisquam unquam fuit, qui careret omni
labe, aut, ut alius quidam poeta ait, qui esset in se to-
tus teres atque rotundus, hoc est, omnes quasi nume-
ros habens probitatis. Itaque aut nihil, nisi inane est
nomen uirtus, aut, si est aliquid, necesse est suam ha-
bere illam perfectionem, et imperfectionem, initia,
progressiones, et exitus. Nam de ista re sic est no-
bis disputandum, ut est, aut esse potest in humano
animo, non ut est in sua natura, uel sola, et tanquam
detractis uestibus inspecta, et considerata, si modo
fieri hoc unquam potest. Quod si est, quomodo non
essent

essent in uitijis gradus, quorum spatium, & ut campi
pus aliquis latissimus, in quo libere uagantur, &
immensus est. Ac uidetur mihi sola ista res decepiſſe
se Stoicos, quod, cum hæc docuerunt, ad solam, ac
nudam uirtutem respexerunt, quasi ita aut possit,
aut debeat inquiri, aut se possit ipsa nullo adhibito
adminiculo sustentare, & non potius humani animi
sit affectio quædam, atq; inde pendeat & eo pertin-
gat. Sic potius de uirtute erat disputandum, & sen-
tiendum, & non, nisi aut ambitiosi, aut peruersi de
illa serio, præsertim illo modo disputauerunt. Nec
propterea sumimus hæc à lenonibus, quod non faci-
unt cum illa turba Stoicorum, qui non tantum con-
tra uulgi iudicium hæc intoduxerunt, sed contra
sententiam omnium eorum qui recte, & congruen-
ter natura philosophati sunt, ac uelut seditionem in
philosophia excitauerunt Stoici. Socrates disputa-
bat isto modo. Quid tum postea? An non hoc etiam
modo Socrates disputabat, ut diceret nihil se scire,
nisi q; nihil sciret, ac sepe aliter etiam, aut multo,
quàm isto modo, sæpius? Non puto quærendum esse
potius, quid baiuli, & operarij, quàm quid homi-
nes doctissimi de bonis senserint. Sed qui sint illi
doctissimi, magna quæstio est. An Socrates? At ille
professus est se indoctissimū esse, cum dixit nihil se
scire, nisi unum hoc quod nihil sciret. An Zeno? At

D 2 Plato

Plato etiam fuit non indoctus, & uestro etiam iudicio longe doctior. Quid memorē Aristotelem, et infinitos alios, qui nō minus docti, quā Stoici fuerunt? Et tamen illi omnes longe, lateq; à Stoicis disenserunt. Conantur hoc etiam persuadere nobis, ut Rhetores, aut certe non ut Stoici, & prope modum suæ personæ oblitī, Vtilissimam esse hanc sententiam uitæ hominum putari uolunt. At, uide, quā sit hæc utilis, quā salutaris, imò quā pernitiōsa, & pestifera. Nam cum ea sit hominum natura, & imbecillitas, ut non possint absq; cupiditatibus, & peccatis uiuere, quanta erit in designandis facinoribus licentia, quanta sceditas, quanta crudelitas, & barbaries, si illa erit animorum inductio, in pari culpa esse eum, qui priuatis inferat manus, aut seruum occidat, cum ijs, qui magistratibus inferant manus, aut patrem occidant, Et non magis peccare hos, quā illos. Quam rerum cernimus faciem, quā horribilem, & tetram, si tot parricidia fient, quot fiunt aliæ cædes, tot magistratum sint iniuriæ, & tam insignes contumeliæ, tam manifestæ, quot priuatorum, quā insignes, quā manifestæ. Aut potius si tot homines mactentur, quot Galli gallinacei mactantur, quæ etiam ab illis ipsis, qui hoc defendunt acriter, in plerisq; alijs locis ridentur. Hæc uero secutura essent & multo grauiora

graviora, ac atrociora, quàm primū persuasum ha-
berent homines nullum esse discrimen in peccatis, tã-
tundem esse quid faciens, & in qua re faciens delin-
queret, modo à præscripto, & uia uirtutis recede-
ret. Pro fortitudine uidentur uelle dimicare Stoici,
cum defendunt cum tanto studio peccatorum, & uir-
tiorum æqualitatem. Ponunt enim fortitudinem in
stupore quodam, aut in trunco magis, quàm in mo-
tu, & sensu, ac animante aliquo. Sed pro fortitudi-
ne cum digladiantur, interim se oppugnare iusticiã
non uident, cui tamen illam postponunt, & quasi
ministram eius faciunt, ita fit, cum solam nostram
famam, & qualemcunq; gloriam spectamus in re-
bus disputandis, nõ etiam ueritatem, aut cum aliorum
quos odimus, nomini, ac dignitati, ac gloriæ inuide-
mus, & insidiamur. Quod nemo uir bonus facit,
Imò qui hoc faciunt, monstra sunt, nõ homines. Con-
didit enim ad inquisitionem nos, & studium uerita-
tis natura, nec ea re est quicquàm homine dignius,
aut eius nature cõuenientius. Nam coniungere ue-
ritatis studiũ cum honoris, & gloriæ studio nihil ue-
tat, uel potius alterum absq; altero nõ potest existe-
re in hominis animo. Ac longe aliud est ambitiosum
esse, quàm honoris, & gloriæ amanti. Hoc enim ni-
si esset, nemo omnium hominum hoc uitio careret. Hæc
Philosophorum more dico, & est haud dubie differe-

D 3 rentia

rentia inter illa hac ratione. Iam quòd eadem ue-
hementia uelut satis probatum statuunt, In uita nò
pœnas, sed animos, & hoc, quod cuiq; licet, spe-
ctari debere, quis non uidet, quàm procul à uero
absit, quàmq; pugnet cum omni ratione, cum iu-
dicijs, cum legibus, & consuetudine, quæ uice illa-
rum sepe, ac recte habetur, quàm aduersetur, insi-
dieturq; non famæ tantum, & dignitati hominum,
sed etiam saluti? Et hoc quidem ipsi præclare do-
cent in alijs libris, quanquam in illis nò agunt Stoï-
cos, uidendum esse ne pœna maior sit, quàm cul-
pa. Nam, si uel maior pœna statuatur ei, qui de-
liquit, quàm peccatum est, uel minor, quod ta-
men illo est liber alius propter clementiam, quæ ma-
gna uirtus est, iusticia uiolatur, quæ pœnam, &
peccatum inter se, quantum fieri potest, æquat.
Quanquam qui sic dicit, ipse ponit, & affirmat
esse peccatorum inæqualitatem. Sed aliter, & me-
lius ab eis est postea cogitata res, & disputata, oc-
currat mihi aliquis. Ego uero ostendam deterius
esse factum hoc in posterioribus libris, Ac sanè res
mihi est contra Stoicos, non contra Academicos,
aut alios Philosophos in hoc loco, & hac sententia
cum suis argumentis impugno ubicunq; aut à quo-
cunq; sint defensa. An non omnes homines, iudi-
cia, & magistratus arguuntur iniusticia, insi-
mulantur

mulantur crudelitatis, accusantur impietatis, ar-
cessuntur deniq; omnium scelerum & flagitiorum,
si, cū pœnæ sint dispares, peccata sint paria. Quid
enim est aliud iusticia, quid aliud est impietas, &
scelus, quàm non dare paria paribus, & equali-
tatem quandam conseruare cum in contractibus,
tum in honoribus, & pœnis: Et egregie dicit Ari-
stoteles: τὸ ἴσον τὸ ἀντίπεπρωθὸς σὸς δὲ τῶς
πόλλης. Et manifestū est omnia bella, oēs pugnas,
omnes lites, & contentiones, quæ maxime cōquas-
sant res publicas ex eo nasci, quòd aut æquales non
æqualia, aut æqualia non æquales accipiunt. Hæc
satis magna caussa debebat esse, cur Stoici cum sua
hac sapientia non tantum exhiberentur, sed car-
ceribus etiam cohercerentur. Iterum atque ite-
rum inculcant, & uestris animis infigere conan-
tur in rebus non posse modum, aut æqualitatem, in
animis teneri modum posse. Quasi uero non etiam
nos dicamus, & animorū esse modum, Sed aliter nō
paulo, q̄ ipsi. Non enim pro æqualitate quadam im-
mota, et fixa, ut sic dicā, quæq; nō pro rerū uarietate,
in quibus uersatur, & uelut iactatur, alia fiat, ac
alia subinde, hoc est, iam minor, iā maior, nunc pro-
pinquior, nunc remotior. Crescat & decreseat, gra-
dus suos, & ordines habeat, modū nos accipimus.
Illi contrā faciunt hoc. Sed quàm apte, aut recte,

D 4 quanquāns

quanquam satis est indicatum antea, tamen hic adijcere quaedam illis non alienum puto, ut illustrior fiat res, praesertim cum ipsi quoque repetere illud non dubitauerint. Non considerari, aut iudicari potest animorum ille motus, aut medietas ex seipsa tantum, uerum & ex rebus, quarum est tractatio, perinde atque firmitas, uel aedificij uel arboris, non aestimatur ex sua natura tantum, sed refertur etiam ad uentum, aut aliam uim, a qua subuerti potest. Ac ut magna robora, cum euelluntur a uentis, quod solet accidere, nonnunquam recte imbecilla dicuntur, si conferantur cum uentis, a quibus sunt euulsa, tenues autem frutices firmi non incommode appellantur: a debilioribus uentis non euersi, aut lacerati, si fiat ipsorum cum uentis comparatio. Sic etiam in habitibus animorum tota res non potest iudicari, aut intelligi sine collatione quadam earum rerum, ex quarum usu id habent, ut uel sint uirtutibus praediti, uel deformati uitijs. Et tanto quidem magis, quod in illis illa comparatio non est necessaria, in his uero est necessaria. Non enim possunt uirtutes, & uitia separari ab istis rebus, aedificia uero & robora non ita coherent necessario cum uentis, aut aliqua alia certa, & una, quae foris est, uiolentia. Quid opus est multis uerbis? Omnino quod in corporibus est magnum, & paruum, hoc uirtus, aut uitium

uitium in animis humanis uidetur esse: Neutra enim sine comparatione subsistunt. Vt histrio propter leuissimū errorem exploditur, Ita si paululū peccet modo ciuis, non ferri potest. Quid audis? quanta seueritas ne dicam, an crudelitas? Sic uero tollendum esset totum genus humanum in puncto temporis. Vbi sunt tam uarij motus, & animorum perturbationes, quomodo non possunt aliquando saltem errores, peccata, & ab illo medio discessionēs incidere? Stultē enim non tantum indoctē contendunt Stoici, quod affectus insint nobis alia ratione, quā natura. Porro, quare, si breuiora queant dici peccata, non queant etiam leuiora, aut minorā dici, non uideo. Nam & longitudo quantitatem auget, non modo profunditas & latitudo: Quāquam nec longa esse, nec leuis proprie uirtus dicitur: Sed hæc est alia disputatio. Videtis nunc pugnare Stoicos non nobiscum, sed cum toto genere humano, aut ipsa potius rerum natura? Et totum genus humanum, & rerum naturam ipsam pugnare cum Stoicorum hac sapientia? Quid ergo nos impedit, quo minus abijciamus hæc uere insopinata, & aut per somnium, aut animi aliquam insignem perturbationē nata, prolata, introducta, et defensa? Quare breuiter & sequentia quædā resellamus eadem ueritate, quæ hactenus fuit, adiutrice.

D 3 778

ἵτις ἔπειτες οἱ λόγοι μακά-
ροντες.

Ego uero te nec insanum, nec furiosum esse unquam arbitratus sum, ideo, quod uel stultè faceres, uel malitiose, mihiq; , & nomini meo, famæq; , ac utilitatibus insidiareris, hoc ageres unicè, ut animi tui libidinem satiares, quasi non posses incolumis tu, aut saluus existere, nisi me uel extincto, uel oppresso, & eiecto ex Repub. Non quidem sum ualde sapiens, ita tamen institutum esse meum animum puto, ut nullis minis, nullis periculis, nullis odijs aut simulatibus, nullis insidijs, nullis calumnijs passurus sit abduci, et absterreri se à recto & honesto, quantum hæc infirmitas mea non hoc impedit, factorumq; ratio & necessitas illa patietur. Atque utinam conseruaret mihi ac confirmaret hanc mentem Deus optimus Maximus, nihil mihi posset accidere, quod uel optabilius esset, uel delectabilius. Quid enim est honestate præclarius? quid conscientia recte factorum dulcius? Hanc, si quid humane uires possunt, nunquam patiar mihi neq; tuis dolis, neq; fortune ludibrijs eripi. Et ubi deficiet huius mortalitatis imbecillitas, coelesti ut robore sim confirmatus & instructus, curabo. Solet enim Deus amantes honestatis & uiliorum in micos adiuuare singulariter. Verum ad te redeo, quem non pro-
pterea

pterea furiose, quod malitiose & stultè feceris, fecisse existimo. Detulisti me, & calumniatus es apud eum, quem ut sciisti posse mihi nocere, ita uelle quoque sperauisti. Sed longè tua te fefellit spes & opinio. Quanquam enim primo impetu nonnihil insensum & commotum reddidisti meum mihi non amicum dico, sed patrem propemodum, certe quem ego pro eo ac debui, amaui, ut patrem, ut principem in Repub. reueritus sum, & unicè obseruaui, tamen statim, ut est ille uir sapiens, & delatorum, qui rectè à Martiale dicti sunt Turba grauis paci, placidaq; inimica quieti, uel precipuus aduersarius, ubi me audiuit, ac insidias & dolum mendaciaq; tua animaduertit, maiore beneuolentia me complecti, magisq; amare ac iuuare coepit, quam est unquam factum. Cur autem hoc tibi faciendum esse censuisti? imò cur fecisti potius? Nullam aliam ob causam, quam quod non uisus sum te satis magni facere, quodq; nolui cum rerum mearum dispendio, temporisq; iactura tibi operam dare, te intueri, te mirari, te ut numen uenerari. Doluerit hoc tibi, sis à me offensus, desiderari possit in me nescio quæ humanitas. Quid autem? an ideo tu famæ & salutis meæ debuisti rete illud tendere, hunc hamum suspendere? An propterea tam audax facinus tibi suscipiendum, tantumq; scelus designandum fuit? Res omnino

omnino est leuis, in qua te offendi, & ut sit contra
humanitatem & suauitatem morū aliquid factum,
nihil tamen est contra ius aut leges factum, Siqui-
dem tota res gesta est extraordinarie, liberumq; mi-
hi fuit uel cum meo damno prodesse tibi, uel sine
damno meo non obesse, tuq; sis ætate me superior,
& nõ prorsus nulla necessitudine mihi coniunctus.
Quas ob causas etiam tibi parco, non te nomino,
quod tamen iure quodam meo facerem, si facerem,
& uix leuissimam tanti criminis, & tantarum in-
iuriarum partem uindicarem. Malo enim, si potest
fieri, ut agnoscas peccatum, ut redeas in uiam, ut ho-
nestius posthac mecum agas, quàm ut deformatus
meo scripto poenam luas impietatis tuæ. Qua in re
stultè ne tantum, an etiam furiose à te factum est?
Tantum stultè existimo. Nolo enim tibi tam gran-
dem dicam impingere, ut furoris etiam accusem.
Quanquam, si Stoicus essem, hoc facere non dubita-
rem, & pleriq; hoc tantum facinus cum insania co-
nati sunt coniungere. Hac autem tam deformi labe
& macula te libero, quòd non meorum tantum ami-
corum & necessariorum uitia, prout decet fieri,
sed quorumlibet etiam aliorum hominum peccata
& errores extenuare soleo, & omni ratione, que
non lælit honestatem, mitigare. Sic omnino sen-
tio, nec possum assentiri illis, qui te, quòd stultè fece-
ris, insa-

ris, insaniſſe quoq; putant, eamq; ob cauſam te do-
fendo hac ex parte. Vellem, ut ſimiliter maliciae ac
ſtulticiae te abſoluere poſſem. Sed conemur hic
etiã aliquid, ut leuius nonnihil tibi fiat hoc pondus.
Ne ſtultè quidem te feciſſe dico, propterea quòd uo-
luisti nocere innocenti mihi, & non ualde natu ma-
gno, facienti, ut quiſquam alius, officium ſuum, nec
in ſchola ſua uel negligentifſimo, uel indoctifſimo.
Non enim eſt ſtulticia, animum eſſe obnoxium aſſe-
ctibus, & parere libidinibus. Alterum enim in illa
infima parte animae uerſatur, alterum in ſumma
& principe illa, quae mens dicitur. Et longe aliud
eſt iudicando, & intelligendo, quod fit in ſtulticia
& furore, errare, quàm quod fit in appetendi par-
te, contra iudicium animi, quo rapit impetus, ferri.
Sed quid haec diſputo multis uerbis, cum ne quidem
reprehendi recte homines poſſint propter uel ſtul-
ticiam, uel inſaniam, niſi uoluptatibus, aut alijs cu-
piditatibus, ac libidinibus, aut alia culpa aliqua
ſua id genus malum ſibi conciliauerint? Quis enim
punit fatuum? quis furioſum? An non ſunt eis im-
pune omnia potius, & quando aliquid uel grauifſi-
mè peccauerint, magis noſtram negligentiam, qui
non illos obſeruauerimus, & cuſtodiuerimus, cul-
pandam cenſemus, quàm illorum facta? Et quis
ſapiens, ſicut illis tantum, qui uirtute ſunt præditi,
honestèq;

honesteq; faciunt præmium deberi, honorem ac lau-
dem, ita etiam corruptis modo uitijs, & deturbatis
aliqua appetentiæ labe, aut malitia contaminatis,
non mentis, aut intellectus parte aliqua turbatis, re-
prehensionem, & pœnam deberi nõ iudicat? Tur-
piter, malitiose, corrupte, peruerse, uitiose fecisti
potius, aut ideo quòd leuiter offensus tantum uo-
luisti mihi tam ingens creare malum, siue propter
rerum mearum successum, & studiorum ac uirtu-
tum secundo cursu dolens, ut inuidus, non potuisti
quiescere, donec mihi negociũ aliquod exhibuisses,
atq; ita in incepto itinere tardares, pturbaresq; mi-
hi meas honestissimas rationes. Nam si, quòd non in-
tellexeris quid faceres, quòdq; fueris mente captus,
hoc fecisti, in nulla propemodum es culpa, in nullo
es uitio. Quid? stulticiam ne dicam, an amentiam,
quòd etiam uis defendere hoc tantum & tam tetrũ
facinus? Ita enim de te mihi dicitur. Sopire & te-
gere quomodocũq; potius hoc malũ debebas, quàm
mouere, μή κινεῖν καμάρτυρα, ἀκίνοτον γὰρ
ἄμενον. Potest uero excusari mendacium, quòd
ego quidem grauius esse peccatum in re seria præ-
sertim puto, quàm sacrilegium. Quid enim aliud
est mentiri, quàm contra ueritatem, hoc est, Deum
ipsum, et naturam rerum pugnare? Vita adimitur
his, qui rem sacram furati sunt, quæ aut pecunia,
aut uestis,

aut uestis, aut gemma, aut aliquid aliud est, quod in
precio habetur, & tamen de externis tantum uelut
Dei bonis est, & non adimitur ijs, qui detrahunt
Deo & naturæ quantum est in ipsis, summum suum
bonum, honorem, dignitatem, inuolant in eorum
possessiones, & ex eis deturbare ac eijcere illos uolunt,
gigantibus etiam, ut est in fabulis, audaciores
& sceleratiores? Si enim horum potest fieri separatio,
tolerabilius est numini aliquid de potentia
minui, quàm de ueritate, quod uel minimum est, de-
trahi. Qua pœna, quibus cruciatibus aut tormen-
tis, qua carnificina dignos dicam eos, qui menti-
ri audent, hoc est, summum Deo & naturæ hono-
rem, & uelut animam suam quandam & uitam
auferre? Quæ supplicia digna tanto flagitio pos-
sunt excogitari? Quis carnifex, quis tyrannus
pro merito puniat hoc tantum scelus? Conser in
unum cumulum cruciatus omnes omnium tyran-
norum, & tamen, quo debitam & iustam pœnam
infligas uano & mendaci, non habebis. Quare fa-
ctum etiam est fortasse, ut gigantes punirentur pro-
pter affectatum cœli regnum, mendaces nunquam,
aut raro puniantur, quia si nulla pœna in hoc mor-
tali corpore uindicando huic tanto crimini suffi-
ciat, ut impunè mentiaris tu, & tui similes, nul-
la prorsus ratione adduci possum, ut credam.

Cœlum

Cælum prius ruet, quàm tanta petulantia, tantâq;
libido non punietur, maxime si pergetis mentiri, &
tanta contumelia Dei nomen afficere non desistitis.
Placabilis enim Deus est, ac ignoscit culpam et pec-
catum agnoscentibus, & petentibus ueniam. Qua-
re si quid sapis, muta animi tui propositum, aut tan-
tum potius morbū sana, & eijce procul ex animo,
redi cum Deo in gratiam, deprecare culpam, corri-
ge uitam, & redi in rectam uirtutis & honestatis
uiam. Hoc, etiam si grauissimè & atrocissimè in me
deliquisti, opto & precor tibi: Non enim delectat
me perniciēs & interitus hominum, Et uirtus est,
non tantum ignoscere petentibus ueniam, sed cupē-
re, ut agnoscant peccatū, si qui peccauerunt in nos,
& desinant in posterum peccare.

Idem aliter.

Quis non potius uidet, hunc non stultum aut de-
mentem statim esse, qui unum aut alterū, aut etiam
plures offenderit, aut insanum propterea, si fuerit
stultus aut demens? Nisi ludimur uocabulis, & nō
intelligimus, quā uim τὸ μαίρειν apud Græcos
habeat. Et debilitari, & expugnari sapientis anis-
mus haud dubie potest, quanti cūq; uirtutibus mu-
nitus, & uelut præsidio cinctus honestatis, tantum
abest, ut ciuitate pelli nequeat. Quæ enim perfecta
uirtus

uirtus est in hominis natura, quæ prudentia, quæ sapi-
entia, uel quæ potius cogitatio. Simulachra ma-
gis, & imagines harum rerum natura nobis indi-
dit, quàm res ipsas. Idq; ipsi, qui hæc tantopere de-
fendunt, in alijs locis non docent modo, sed conten-
dunt. Tribuant hi quidem sibi tantam sapientiam,
uirtutes tam magnas, animum inuictum, & despi-
cientem res humanas, dummodo alibi exclament:
O frustra me unquam sapientem. & ne quidem, ut
inceperint, libertatē patriæ defenderint fracti ani-
mo, & metu in uarias partes agitati, & passi omni-
no, quod homines pati solent aliquando, etiam sa-
pientissimi. Non uero pellitur is ciuitate, qui non
propter maleficiū pellitur? nec est ciuitas, ubi nō
leges ualeant, ut unus aliquis, aut pauci uelint.
Aut certe ubi sint aliqui mali, & perniciosi ciues?
latronum ue tantū, & fugitiuorum, ferorū etiam,
& immanium fuit in urbe multitudo, nō etiam mul-
ti boni uiri, multi honesti ciues, Senatus, Magistra-
tus, leges, forum, iudicia? Quis ergo ciuitatibus
tuam salutem, uitam, & dignitatem cōmendauit?
Non Senatus, etiam tuo testimonio? Vide mi Cice-
ro, quō prolapsus sis, dum studes gratificari Stoicis,
patriam facis latronum, & barbarum coetum, ciui-
tatis ei ius adimis, & uelut in exilium tecum agis.
Semper in ciuitatibus dissensiones fuerūt, tumultus
E aliquandō

aliquando, & seditiones, quotidie fiunt iniuriæ
nunc Magistratibus à priuatis, nunc priuatis à Ma-
gistratibus. Quid causæ est? Multi mali sunt in
omni Repub. reliqui mediocres, aut, ut Flato tuus
docuit, plurimi sunt mediocres, pessimi & opti-
mi sunt pauci. Quid uero mediocres faciunt?
Non semper abstinent ab iniurijs, non semper sunt
pro Repub. solliciti, suis rebus consulunt plerunq;
non alienis. Quod quando fit, necesse est, aliquan-
do saltem interuenire uel priuatas uel publicas in-
iurias. Quid? non sæpe ius est ambiguum? Non de-
cipiuntur etiã magni uiri aliquando & docti specie
recti? Quid tibi in grauissima causa Pompeiana,
& Cesariana, ut alias taceam, accidit? Nonne diu
deliberasti, & consultasti & tecum ipse, & cū tuo
Pomponio? Tandem quidem in partes Pompeia-
nas concessisti, quanquam ægrè. Sed multi adhuc iu-
dicant grauibus iniurijs affectum esse Cæsarem, &
tum superbia, tum inuidia Pompei compulsum ad
arma ciuilia. Inuitus hæc dico, uerum cogit me hoc
facere instituti mei ratio. Nec ideo me tuum unquã
satis laudatum nomen afficere iniuria putes, quod
dico te fuisse hominem. Quid autem est homo? Ra-
tione quidem præditum animal, & sermonis parti-
ceps, quod labatur tamen, quod sæpe erret & deci-
piatur. Sed docent Stoici, nunquã opinari sapientẽ,
nunquam

nunquam errare. Vbi autem est ille sapiens? Cupimus unum talem hominem, et uehementer cupimus, hisce oculis aspicere. Nihil tuarum quoque rerum ereptum esse tibi dicis, nullam iniuriam ad te à tuo aduersario peruenisse. Id uero nos enixe negamus. Si domus tua tibi disturbata est, si alia res oblata aut uexata sunt, non uideo quomodo prorsus nullam sis iniuriam passus. Quanquam, quod æquo animo tulisti crudelitatem inimici tui, et celsisti eius malicie propter tranquillitatem patriæ, honestè fecisti, et laudem tibi comparasti sempiternam. Sed quatenus hæc essent bona, ideoque nostra merito dicerentur, iam antea satis est demonstratum. Non autem propterea nihil tuorum ademit ille tibi, quod uirtutes tuas, gloriam, et mentem non ademit. Ac sanè miserum, miserandumque esset, hoc si esset factum. Sic enim non modo quod in te fuit præstantissimum, amississes, uerum etiam nudior captiuo esses ab illo dimissus. Esto autem, semper ciuis fueris. Non enim soli mutatio adimit ius ciuitatis: Et multi procul Roma fuerunt ciues, tum ibi, tum alibi nati. Sed non propterea tuus aduersarius exul fuit, quod tibi et tuæ uitæ insidiatus sit, et hoc quidem iniuste et flagitiose, ut sentimus, fecerit. Sicut enim non omnis, qui solum mutauit, exul est, ita non omnem qui ciuis non est, exulè putamus, alioqui enim quicumque ueniret in
E 2 alienans

alienam ciuitatem, negociandi, aut militandi, aut
animi, aut cuiuscunq; tandem rei causa, pro exuli-
bus ibi habendi essent. Sed is proprie est exul, qui
uel sua culpa, & peccato aliquo uelut à Republica
amputatus, & iure à Magistratibus expulsus pa-
tria, uitam alibi degit, uel metu etiam potentiorū,
ac iniustè istam miseriam sustinet. Quare nec ille
exul illo tempore quo in urbe fuit, nec tu non exul
fuiſti, cum urbe caruiſti. Idq; mecum sentit non pau-
corum prepostere sapientium Stoicorū numerus,
totareliquorum Philosophorum & doctorum ui-
rorum, & communis loquendi usus mecum hoc sen-
tit, loquitur, clamat, contendit. Vnde enim dictum
est exilium, quàm quòd extra solum homo colloce-
tur, pro eo tamen ut est malum, & miseria, siue pœ-
næ habeat, siue iniuriæ nomen adiunctū? Aut quor-
sum est opus ad Platonis hic Rempub. respicere, aut
dirigere mentem ad ipsam iusticiam, dignitatem, &
meritum, aut naturam, cum tota hæc res ciuili qua-
dam ratione & hominū consensu uersetur, nec tam
quid fieri debeat, quàm quid fiat, spectetur, ac sit
spectandum? Vides itaq; Cicero, neq; deceptū esse,
aut hallucinatum in rebus illis iudicandis tuum ini-
micum, neq; insanum futurum fuisse, aut dementem
si esset hallucinatus, nec etiam, ut maximè uel dece-
ptus ille, uel stultus fuisset, insaniſſe, quod inde col-
ligis

ligis occultè. Malitiose potius ille fecit, corruptè,
deprauatè, flagitiose, turpiter, ac ideo reprehensio-
ne & pœna maiore dignus est. Si enim stultus fuit,
si demens, cæcus fuit in dijudicatione rerum, & nisi
aliqua sua istam tantam ignorantiam, & mentis cæ-
citatem sibi conciliauerit, ne quidem reprehenden-
dus est. Puniendus uero quomodo, cum stulti, insa-
ni, & furiosi nullis legibus subiecti sint, sed potius
uinculis, custodijs, & aliorum hominum diligentia
coherceantur? Satis ergo de hac re disputatū sit, et
iam dudū nos tempus ad alia uocat, quæ dum addo,
prorsus tum uenia tua, tum lectorū æquitate & be-
neuolentia mihi opus esse, ut hactenus fuit, sentio.

ὅτι ἔ μόνον ὁ σοφὸς ἐλευτεροῦ,
καὶ ἔ πάντες οἱ μωροὶ δ' ἄλοιοι.

Miseras uero & incertas Respublicas omnes,
non tantum uestram illam, quæ semper fuit poten-
tissima quàm diu floruit. Quis enim unquam uestrū
Imperatorum caruit cupiditatibus omnino? Quis
non potius aliquando morem gessit affectibus suis?
Quis ita fuit sapiens, ut uultis, aut fingitis uobis sa-
pientem? Da Curios, da Camillos, da Marcellos,
da Lucullos, da Pompeium ipsum. Quis omnium ho-
rum non habuit sua quædam uitia? Quis nō uictus
E 3 est ali-

est aliquando affectibus, & concessit aut uoluptati,
aut odio, aut misericordiae, aut amori, aut dolori,
aut leticiae, aut sperandis rebus, aut desperandis, aut
contemnendis? Aut quae potius uita hominis potest
esse, quae non pellatur, & iactetur talibus motibus?
Nam uestri prorsus ex hominis natura tollunt eos,
& relinquunt tantum corpus absque uita, et cadauer
hominem uolunt esse re ipsa, non hominem. Quod
alio loco, si non est demonstratum satis, demonstrabi-
mus aliquando, nec pudet nos in errore tam crasso et
manifesto à tantis uiris, tam sapientibus dissentire.
Sed ut redeat unde est digressa oratio, quae tantope-
re insectaris, & merito reprehendis propter uitia
& turpitudinē, fuit is non modo liber, sed Impera-
tor etiam. Quid enim est esse liberum, quod in nullius
hominis potestate esse? Quid est Imperatorem esse
aliud, quam legibus, & consensu populi gubernare
caestrensem multitudinem, & pro suo nutu ac arbi-
trio locum caestris capere, insidias ponere, conflag-
re cum hoste, oppugnare ciuitates? An hoc non fe-
cit aduersarius tuus? Non refrenauit libidines, uo-
luptates non spreuit, iracundiam non tenuit, non
cohercuit auariciam, non ceteras animi labes repu-
lit. Quid uero? Stoicus aliquis ergo in schola dei-
tescens, & contendens de rebus aliquando non ualde
grauius & necessarijs, quia sapiens est, eiecit ex
animo

animo uitia, uacuuus est et liber à perturbationibus,
id est, mutatus in aliam naturã, non amplius homo,
Imperator est, uincit hostes, capit ciuitates. Quan-
do autem hoc melius facit, quã cū dormit? Tunc
ergo maximè Remp. foris administrat. Imperator
est nõ tantũ populi Ro. sed fortasse omniũ hominũ.
Quod si uos delectant absurditates tãe, sumamus
cadauer, illud constituamus Imperatorẽ, illũ præfi-
ciamus exercitui, illum mittamus contra hostem, illi
salutem & uitã nostrã cõmittamus. Sed milites for-
tasse nõ poterunt esse obedientes dicto Imperatoris
sui, nisi careant ipsi uitijs & affectibus. Quare &
illos aut mortuos, aut pictos cõscribamus, ut conso-
nent inter se omnia, atq; nõ modo Imperator sit ua-
cuus ab effectibus, et bene mundus, sed etiã reliquus
exercitus, & hostes illis terriculamentis arceamus,
& superemus. Talia quædã profecto ex Stoicorũ
hac sapientia uidentur sequi & manare. Libertas
est potestas uiuendi, ut uelis, & nemo uiuit ut uult,
nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio. Talem cu-
perem in conspectũ uenire mihi, qui ista omnia præ-
staret absolutè, illum colerem, obseruarem, & ut
Deum haberem. Sed fingamus talẽ esse: Num pro-
pterea statim sui iuris erit? an faciet quæ uolet? nõ
extimulabitur communi utilitate, non pulchritu-
dine uirtutum, & honestarum actionum specie?

E 4 Quid

Quid aliud fecerit, quàm ex turpi seruitute in honestam transierit? Verum hæc omittamus, & esto sanè libertas parere honestati, uirtutibus deditum esse, recto morem gerere. Quid dicemus de illo, qui seruus est uitiorum? Non dicemus illum quoq; liberum esse? At uide quantum, nisi hoc fiat, mali ea res sibi adiunctum habeat. Peccat istorum quis, Nō est puniendus ipse, quia coactus à domino suo peccauit. Corripiendus erit dominus, ille debet luerè, quod mancipium admisit, aut certe nocentissimus dominus impune seruos suos mittet ad lædendos alios. Quis autem est dominus? Non unus, multi sunt, aut potius infiniti. Quis igitur istorum erit plectendus maxime? Qui seruum non custodiuit, & prohibuit peccare. Qua pœna uero afficietur? morte. Sed nō potuit hoc fieri, nisi mancipium hoc unà interficiatur, aut certe abducatur ab isto suo domino uerbis & doctrina. Sed hæc est iniuria, dolus est, suū alij per blanditias adimere. Videte itaq; Stoici, ne magnam hominibus fenestram ad nequitiam aperiatis, & cum uultis corrigere, aut delere uitia, corroboretis & augeatis ea magis. Si non faciunt quod uolunt facinorosi aut malefici, coguntur, ideoq; non rectè puniuntur à legibus & iudicijs, cū nisi uoluntarium peccatum, ne quidem peccatū sit. Sed opportunè corrigitis ipsi uos, & exponitis animi uestri

mi uestri sententiam, cum dicitis, non ita uos intelli-
gere seruos, ut sint mancipia, quæ sint dominorum
facta nexu, aut aliquo iure ciuili: De animi fracti
obedientia uos loqui, cum dicatis omnes improbos
seruos esse. Hanc uero expositionem in alijs uestris
similibus sententijs non additis: quod si faceretis,
fortasse minus haberent illa pleraq; absurditatis.
Quamquam non sic in alijs conuenirent, ut existi-
mo, istiusmodi interpretationes. Libenter accipi-
mus in hoc loco uestram illam differentiam. Quan-
quam eodem res labitur, quod ad iudicia & pœ-
nas ciuiles attinet, atque uix illa absurditas, illud
incommodum, & uelut morbus uestre disputatio-
nis poterit sanari, præsertim si uolumus ita subtiles
& arguti esse, ac urgere nostrum propositum, ut
ipsi facitis, & quidem sæpe non cum tanta specie.
Verum hæc omittamus, & sumamus notiora, mi-
nusq; spinarum aut latebrarum habentia. Vestra
illa expositio quid uos iuuat admodum non possum
uidere. Nihil enim fuit opus hanc sententiam, ut
inopinata, aut, ut significantius dicam, *πρὸς τὸ φοβερόν*
iactare, si uolebatis intelligi uos de seruis uitiorum
non hominum, aut legum. Quis enim uobis hæc nõ
concedit aliqua saltem ex parte, solum eum, qui sit
liber à uitijs non esse uitiorum seruum? Nec uideo
quomodo debeatis propterea malè audire, & in
E 5 odio

odio esse apud nobiles, potentes, principes. Iuris gentium enim est seruitus illa ciuilis, & corporum potius quam animorum, nec unquam subiecta sunt legibus, nisi ea, quae prehendi possunt manibus, & oculis cerni. Aut ergo non est hoc $\pi\acute{\rho}\acute{o}\tau\epsilon\sigma\ \sigma\acute{\upsilon}\lambda\lambda\acute{o}\varsigma$, ut dixi, aut, si uultis pro tali sententia nihilo minus haberi, pugnatu uobiscum ipsi, & iam illam interpretationem uultis accipi, iam uero repudiari. Quod cur fiat, nescio, nisi quia propter nouitatem initio disputauistis haec, ut caetera uestra generaliter, sine exceptione. Postea cum uidistis ipsi rei maiorem absurditatem, quam ut defendi posset, confugistis ad hanc differentiam, uelut ad quendam portum. Sed non satis hoc est factum constanter. Melius mutata aut reiecta esset a uobis haec pars uestrarum disputationum, quas qui legit, non potest non fateri, commiscere uos haec duo, seruitutem ciuilem, & illam uestram, quam fracti animi uocatis obedientiam, & uitiorum ac libidinum, uoluptatum et cupiditatum seruitutem. Quam ob causam enim alioqui dicendum esset, non esse liberorum dominum eum, & multo minus Imperatorem, qui subiectus sit uitijs, mulierculae pareat, qui nutum senis orbi obseruet, loquatur ad uoluntatem, quicquid denunciatum sit, faciat, assentetur, assideat, miretur, nisi uelletis ne quidem esse liberum talem iure ciuili, aut gentium?

Non

Non pugno uobiscum splendore, aut copia orationis, ineptus essem & impudens si hoc facerem. Specto rationes & rerum sustentacula, illis uobiscum dimico, illa inter se confero, & tanquam committo. Si ex elegantia & ubertate sermonis aestimanda & iudicanda res est, nunc sum uictus, porri go herbam, & agnosco me uestrum captiuum esse. Verum res hic magis ualent, & rationibus depugnare debent Philosophi, non uerbis tantum, aut dictionis ornatu. Illa parte longe uobis sum inferior, idque modo confessus sum, hac uero non tantum non inferiorem, sed etiam superiorem esse me in hac disputatione confido. Non autem studeo uestris laudibus & dignitati aliquid detrahere, ueritatem quero, & in rebus tam grauibus iuuat me quoque exercitatio, & studium commentandi etiam & scribendi, non modo cogitandi & colloquendi cum amicis. Ac puto me uel hoc nomine satis uobis excusatum esse.

ὅτι ὁ μόνος ὁ σοφὸς πλεῖσιν.

An ideo diues non est ille, in quem tanto studia inueheris, & fortasse maiore, quam probas instituitam sententiam, quod suas opes immodicè iactat, nec agnoscit, aut clara uoce testatur te ditiorē esse, quod

quod aliquid didiceris Cicero? An propterea non magis est diues, cum plerunq; soleant hoc facere id genus homines? Gaudent uideri, gaudent in luce hominum uersari, gaudent celebrari suam opulentiam, negligunt Philosophiam, contemnunt liberales artes, oderunt literas uel ob hanc causam, quod pleriq; pluris eas faciunt quam diuitias, & ipsi in summo loco uolunt eas consistere, uel ideo, quod nimium pecunie studium damnant literæ, sine quo uix aliquis magnas opes congescit. Diuitem ergo uis eum esse, qui uix habet uestem, casam, & uires, quibus uictum in diem querat, modo non ostendet pecuniam, quam non habet, magniq; faciat, miretur, aut certe præponat opibus literarum, & laudabilium artium scientiam ac studium? Verum talibus diuitijs non milites conscribi, non exercitus comparari, non saga, non frumentum emi, non arma, non aliæ res ad gerenda bella, aut potius Respub. necessaria possunt. In ærario debet esse pecunia, qua illa conficiantur, inquis. Vnde uero acciperet Respub. pecuniam, nisi darent priuati ciues? An à uicinis rapienda sunt ui & armis? Non puto hoc uis. Vectigalia debent institui, parsimonia debet queri, & colligi pecunia, quam non male in plerisq; locis neruos rerum gerendarum appellas. Sed opus est ad eam rem priuatorum opibus initio præsertim

sertim, quibus crescentibus, cur non & publicæ an-
gerentur opes, & facultates æque honestè, ac ini-
tio? Sed hæc leuia sunt, nec ad rem admodum perti-
nent, illa uehementiora, & magis Stoica. Animus
enim tuus oportet se iudicet diuitem, non hominum
sermo, neq; possessiones tuæ, & qui nihil sibi deesse
putat, nihil curat amplius, satiatus est, aut etiã con-
tentus pecunia. Item hæc: Etenim diuitiarum est
fructus in copia. Copiam autem declarat satietas
rerum, atq; abundantia. Et quæ sequuntur postea.
Contentum uero suis rebus esse, maximæ sunt, cer-
tissimæq; diuitiæ. Dicuntur hæc magnificè & plau-
sibiliter, sed Philosophi est uidere, ut uerum potius
dicat, quam quod capit animos, & habet admiratio-
nem. Quanquã quid uero, ut certius & pulchrius,
ita quoq; admirabilius? Videamus itaq; an possint
hæc uerba nonnihil infirmari, & detracto splendo-
re & ornatu, quàm deformia sint intus ostendere.
Scio equidem Cicero, non tuam esse prorsus hanc
sententiam, Stoicorum personam assumpsisti, &
illis tantum calamum & dictionem paulisper com-
modasti nõ sine certa causa. Non enim temerè quic-
quam facit uir tantus, & mihi modis omnibus, ut
cuiquam alij, reuerendus, colendus, amandus, &
magnificandus perpetuò. Cum Stoicis mihi res
est, non cum Academicis, aut tecum. Nunc uero di-
cere audent

cere audent illi, neminem esse diuitem, qui non sit
sapiens, hoc est, nisi contentus eo sit, quod habet,
quantumuis hoc sit exiguum, aut potius nisi non sit
homo, nihil cupiat, nulla re afficiatur aut mouea-
tur. Hoc uero caudicis, aut trunci, aut saxi est, non
hominis. Quid igitur sunt diuitiæ? Nonne faculta-
tes, & rerum possessio tanta, quanta non tantum
opus sit alicui ad uitam honestè, liberaliter, et sple-
didè pro sua conditione transigendam, sed unde iu-
uare possit amicos, largiri pauperibus, rem diui-
nam facere? Non enim recipienda illius uox est, qui
censuit neminem esse diuitem, nisi qui suis fructibus
alere possit exercitum. Sunt enim ordines hominū
distincti, & cuique suæ possessiones & facultates
opes sunt. Si dixisset de Regibus, de potentibus Re-
buspub. aut ciuitatibus, concedi posset, De priuatis
ciuibus non potest ita concedi. Quanquam nemini
propterea præclusa est uia ad opes augendas, nec
ita res hæc intra modum consistit, ut non liceat pro-
gredi, & partis aliquid addere. Modus est in eo, ut
sint pro cuiusq; ordine & dignitate facultates, quæ
dicantur opes. Cæterum honestè an inhonestè sint
quæ sitæ, aut quæ rantur, cum satietate, an sine satie-
tate, ad hanc rem nihil pertinet: Sunt enim distin-
cta bona, quæ sunt in fortuna posita, & externa uo-
cantur ab ijs, quæ interna uocantur ex eo, quòd in
hominis

hominis natura sint, & quidem præcipua eius parte, quæ animus dicitur. Sed Stoici & hoc negant, quòd sint alia bona præter uirtutem. Negent sanè, dū nos demonstrauerimus ante, quàm ineptè, quàm false hoc faciant. Avaro tam deest quod habet, quàm quod non habet, uulgo dicitur, & uos sentitis, cū diuitias ex animi affectione metimini. Cur autem? an quia non utitur facultatibus, aut pecunia? Quid ego audio? Non habet artifex aliquis peritiam artis, quando non exercet eam? non habet oculos, si quis illos fortè clauscrit, uel ludens, uel aliud agens? Faber, ut uiciniora sumamus, non habet malleum, aut ferram, si non illis utatur? Fortè uester ille diues cum dormit, nec sapiens est, nec diues. Tales sententiæ confictæ sunt à Poetis primū, aut ipsa multitudine, ad leuandum onus paupertatis, & exagitandos diuites, & uos deinde arreptas illas pro Philosophia coepistis defendere, nisi multi ex uobis, de Stoicis dico, idem spectauerunt, quod spectauerunt Poetæ, & uulgus. Nec multū patrociniabitur uobis, quòd finis diuitiarum sit usus, cum non propterea non sit domus, si nemo incolat eam, aut arma nō sint arma, si domi ad parietem suspensa sint, nec tractentur, aut gestentur contra hostem. Sic diuitiæ nō desinunt esse diuitiæ, cum non tractantur, aut conferuntur, aut ad uitæ necessitatem, aut liberalitatem, sed non est diues

est diues, qui habet eas, nec eis utitur. Sed est armatus miles, qui gestans arma, non confligit cum hoste siue in pugna, siue extra pugnam. Si multum uobis largirer, hoc largirer, quod ex doctrina Peripateticorum sumi posset. Dupliciter illis res aliqua habetur, efficacia quadam, aut usu, & potestate. Iam si diceretis habentem opes, nec utentem eis, eas habere non usu aut efficacia, ἐν ἐργασίᾳ illi uocant, sed potestate, quam uocant δύναμις, peccaretis minus. Sed cum prorsus negatis haberi illas diuitias eo modo, quo uultis ipsi, uidete quomodo peccatum eruditus excusare possitis. Quod autem non etiam re uera, & efficacia non habeantur opes ab auaro, uel hoc docet, quod interna illa non paulo habentur aliter, quam hæc externa, & non ex usu iudicantur pariter omnia quæ habentur. Quis enim non dicat eum militem armatum re ipsa, & efficacia (est enim his nominibus utendum) qui nunc indutus est armis ita, ut debet esse dimicans in hostem? Aut cur non habeat isto modo cibum, aut potum, qui habet hæc in mensa in conspectu collocata, & si non fruatur illis adhuc, & comedat aut bibat? Sed in re manifesta nimis sum curiosus & prolixus. Quem hæc non mouent, & cui hæc tam clara non sufficiunt, nescio quæ possint eum mouere, quæ possint ei sufficere. Si hæc etiam in parte suarum
talium

talium disputationum Stoici uterentur discrimine,
cuiusmodi in superiori illo utuntur, ac dicerent, di-
uitem se hic intelligere non eum, qui externis bonis
abundet, sed eum, qui circumfluat illis internis, pru-
dentia, scientia, doctrina, iusticia, fortitudine, mode-
stia, continentia, similibusq; uirtutibus, esset, pro-
pter quod non modo ferrentur, sed laudarentur eti-
am, quod separassent illa, sic, ut alia praeferret alijs
ut omnino faciendum est. Nunc autem confundunt
haec, quae natura ipsa uoluit esse distincta, possessio-
nes, facultates, opes, copias, & scientiam, doctrinam,
honestatem, uirtutes. Luditis etiam nos uocabulo
satis est, cum dicitis, homines metiri diuitiarum mo-
dum ex eo, quantum cuiq; satis est. Quis enim igno-
rat, hanc uocem referri simul hic ad animi appetitio-
nes, & conuenientiam quandam diuitiarum, & con-
ditionis, in qua unusquisq; est, inter se, ac ita com-
miscere, quae natura separauit, ut interim taceam,
quanta sit differentia inter filias, & cupiditates,
quanquam eodem hoc spectat. Crassi uocem nos etiam
non probamus, nisi de Repub. aut Regibus hoc di-
xerit. Sed quid attinebat Crassi auariciam tantope-
re exagitare in hac disputatione, ubi non quaeritur
quis sit auarus, & quae ille faciat, sed utrum praeter
sapientem nemo sit diues. Egeat eius animus, cupiat
in finita, et nunquam satietur, quid hoc ad nos? mo-
do tantas

F

do tantas facultates habeat, quæ pro conditione ac ordine satis magnæ sint. Cur enim opes luerent hoc, quod animus eas possidens delinquit? Sic posset etiam dici, aurum non esse aurum, nisi habeatur ab eo, qui utatur illo ut auro. Et quæ non absurdissima possent inde colligi? Sed non est nostrum propositum, persequi omnia minutissima. Fabricios, Curios, Aphricanos quid mihi narratis? Quis enim hos nõ pluris faciat, quàm Pyrrhi pecuniam, quàm Samnitum aurum, quàm hereditatem L. Pauli? Aut quis potius bene sanus non præstantiorem putet uirtutem, continentiam, liberalitatem, fortitudinem, iusticiam, quàm diuitias, atq; adeo bona mentis, quàm fortunæ bona? Verum non sequitur inde opes non esse opes, nisi animus quoq; sit honestus, & rectè utatur eis, uel neminem diuitem esse, qui non sit etiam bonus uir, & sapiens. Sed quid adeo mirum Stoicos tantopere contendere pro hac sententia, cum longè absurdiora, & non solum animũ esse animal, sed animalia quoque esse uirtutes, & omnes mentis affectiones, ita, ut in uno corpore inclusa contineantur innumerabilia, & infinita animalia docere nõ dubitauerint? Et quis possit omnes illas ineptias illorum enumerare, nedum confutare? Possum & hoc concedere sumptuosum, splendidum, & oberatũ esse, quàm frugalem, & facientem sumptus

tem sumptus pro suis facultatibus locupletior em
non tamen honestiores opes habere. Quanquam
quid pertinet ad diuitias, honestæ ne sint, an tur-
pes? Alia res, alia disputatio. Possum idem de M.
Manlio dicere, tametsi fuerit is honestior, frugalior,
continentior, ac omnino uir melior, non tamen di-
torem fuisse quam Crassus, aut aliquis alius, qui
postea uixit, fuerit, minus honestus, magis pecunio-
sus, nec ideo præferendas esse diuitias uirtutibus,
aut non potius omnibus modis ac longissimè his illas
postponendas, quòd diues possit esse aliquis, quan-
quam sit malus, uitiosus, corruptus, aut quia defor-
matus sit uitijs. Negabo enim sepe, quod illi sepe
affirmant, non esse diuitem pecuniosum, locuple-
tem, opulentum, imò diuites sunt etiam pessimi, si
multa fortunæ bona possideant, & egentes etiam
sapientissimi, non habentes, quibus tum ipsis, tum
eorum cognatis, amicis, & alijs tenuioribus pro
ipsorum ordine & conditione sit opus ad honestè
aut sine mendicitate, & sine rerum ne-
cessariarum penuria uiuen-
dum.

τελθ.

F 2

VITVS AMERBACHIVS
Georgio Staumaccio
Vendingensi
S. D.



Aepe mecum, diuq̄ cogitavi, Georgi, nō esset ne aliquis amor & dilectio naturalis in nostris animis earum rerū, quas expetere mus, sed an omnis talis affectus ad nostram utilitatem aliquam ac suavitatem spectaret, eoq̄ se referret, ac ibi tandem acquiesceret, an aliquas propter se tantum incitatus occulta quadam vi, & latente in natura, ut pulchritudine aut excellentia, hoc est, rebus ipsis amaret, Non tamen statuere potui horum alterutrum prius, quā essem uersatus paulo diligentius cum in Aristotelis maximi Philosophi disputationibus, tum uero in coniugio, rerum tracta

tractatione, ac usu accedente. Ibi enim tandem & rationibus, & experientia doctus sum, & persuasus pleraque sua dignitate, & præstantia, uel occulto naturæ uelut stimulo, aut aculeo nobis arridere, atque cara esse. Nec id mirum tibi uideri debet, cum non solum Plato, & Aristoteles uiri tanti uoluptatem (non autem concedimus Ciceroni hanc uocem Latinis, ut Græcis *ἡδονή* tantum sensuum suauitatem, & titillationem significare) inter præcipua recitauerint, quæ sapientes pro fine, aut ultimo bono, adeoque beatitudine hominis posuerint, ad quam alia merito referuntur, sed unumquodque sua natura & Genius docet, nihil magnificari, aut amari posse, nisi adsit aliqua delectatio, aut uoluptas. Ne dicam uoluptatem etiam corporis unum ex his esse, quæ propter se expetuntur. Sed in

F 3 eo discrimi

eo discrimen totum est, quod aliud est
res ipsa, aliud quod cum re cohæret
naturaliter, etiamsi ab ea separari
non queat. Itaque recte sentiunt hi, qui
uolunt erga liberos *quorumlibet*
esse, atque uirtutem propter se amari,
non propter uoluptatem, aut iucun-
ditatem, quam habent hæ res an-
nexam. Ita ego iudico & locum, in
quo quisque natus est, & educatus,
natura esse amabilem, & non dili-
gi propterea, quod afficiat uolupta-
te, sed afficere uoluptate, propterea
quod diligatur. Hinc est, quod tam-
sæpe tibi significo, me cupere ali-
quando uobiscum esse, ac semel ad-
huc inspicere patriam (uereor enim,
ut possit fieri sæpius) ante, quam
decedam hac uita, nec admodum
timeo ne uitio mihi uertas hanc ani-
mi, ut aliquis putet, molliciem, eti-
amsi tu longo, & quotidiano pa-
triæ conspectu, & uelut usufructu
quodam

quodam, ut uestri loquuntur, satia-
tus iam uideri possis. Nosti enim,
quid in alijs rebus accidat, & quan-
ta sit humanorum animorum infir-
mitas, quanquam facile obrepat eis
magnarum etiam rerum fastidium.
Sed bene tecum habet, quod & ipse
non paruum tempus carueris patria,
nec prudentia tua, uirtusque patiatur
facile te amorem, & studium erga
patriam deponere, ne dicam hone-
storum nullam satietatem esse, Pla-
tonem uoluisse. Ac id quidem hacten-
us tu multis, manifestis, & magnis
argumentis declarauisti, quod opti-
me uelis patriae, quanta cura, quan-
ta sollicitudine eam complectaris,
adeo, ut, si multum possem ego pre-
sens ei prodesse, ac ita res tulisset, ut
nunc tulit de absentia mea, minus
aegre laturus essem hoc illam in me
auxilio destitutam esse, cum uide-
rem te omnia facere, uti facis, quae

F 4 adam

ad amplificandam eius dignitatē,
opes, & potentiam pertinerēt. Gra-
tulor & patrię tantam hanc felicitatem,
quòd talem alumnū habeat
curatorē, & tibi, quòd nec animus
eam iuuandi, nec facultas desit, aut
ocasio. Mihi uero non nunquam
subirascor, imò fortunæ, quòd præ-
ter animū nihil admodum habeam,
& minus possim ei prodesse, quàm
tu facis, aut ego uellem, aut equum
esset. Religionis amor, & huius ur-
bis celebritas, ac admiratio me in
hanc terram pertraxerunt, nihil mi-
nus cogitantem, quàm ut in ea tam
diu manerem, sed potius abhorren-
tem oculis, & animo à loco tam re-
moto à patria, sunt quæ, ut uerum fa-
tear, primum irrisi à me illi tacitè,
qui tam facile huc se alligarent. Sed
animus unà cum ætate mutatur, &
tum adulescenti non ueniebant in
mentem huius terrę commoda, quę
postea

postea precedentibus annis & uidi
& magnifeci. An tu non putas ma-
gnum commodum Christiano, aut
potius maximū, tuto profiteri pos-
se, ac facere, quæ sentiat esse uerissi-
ma, & pietati cōuenientissima? Do-
cent hoc sacrę literę & omnes Theo-
logi magno consensu, non esse fa-
ciendum contra conscientiam, hoc
est, animi iudiciū, etiam in ijs re-
bus aut omittendis, quę sunt uetite,
aut peragendis quę sunt præceptę,
propterea, quòd neutrum possit fie-
ri sine peccato, Sed mutandam esse
cōscientiam errantem. Et recte qui-
dem. Quod autem in illarum ciui-
tatum, quę patrię sunt uiciniores,
aliquam similem nostrę, quod ad
hanc rem attinet, non me contuli,
factū est ideo, quòd occasio defuit,
quę rerum gerendarum optima est
monitrix. Nam quærere, cur nostri
ordinis homines raro maneāt in sua
F 5 patria

patria, quid est aliud, quam cur milites foris & in castris uiuant, non domi, quærere? Habuisses, inquis, & Ingelstadij huius generis castra, tentoria, campum, duces, milites, commilitones, in qua ciuitate adolescentulus diues uersatus. Ita mihi frater meus etiam dicebat superiore anno, cum hic esset paulò ante mortem suam, & quædam addebat. Fateor nullam ciuitatem esse, quæ secundum patriam illa plus me afficiat, cū ideo, quia Gymnasium habet, ac à patria non procul abest, & regitur ab eodem Principe, quam diuersæ gentis, tum uero maxime, quia primus ea ciuitas locus est, in quo egressus patria diu uixi puer propemodum, & in quo ieci primarū artium, Grammaticæ, Dialecticæ, Musicæ, ac Arithmeticæ fundamenta paulò firmiora, & in quo non aliter lusi nonnunquam, ac antea fece-

tea feceram domi, quæ res nescio
quomodo meum animum solent
plurimum afficere, Sed conscien-
tiæ libertas etiam ipsi patriæ præ-
ferenda est, ut non dicam Electo-
rem Saxoniae Principem innocen-
tissimum, & uirum optimum eo fa-
uore me complecti, & ea liberalitas
me fouere, ut uix hinc possem a-
uelli, etiam si nihil obstaret, ac insu-
per ualetudinis ratio me quædam,
ut ferè facit, incitaret, præterquam
quòd ita homo sum, ut assuetis & lo-
cis, & conditionibus facile sim con-
tentus, nec soleam in his rebus mu-
tationem suscipere, nisi aliquid ma-
gni me urgeat, & tantum nõ cogat.
Itaque tu Georgi tanto uberius, &
prolixius, fac, merearis de nostra pa-
tria, quãto ego minus id possum fa-
cere. Interim tamẽ si quid absens te
potero iuuare in hoc tuo cursu eue-
hendi altius, & ornãdi patriã, nullis
parcam

parcam laboribus, donec id effecerō. Hinc etiam est, quod hanc orationem, quam superiore anno publice in hac schola in cœtu eruditorum habui, de laudibus patrię, non quidem speciali, sed generali argumento, sic tamen, ut mentionem ibi nostrę fecerim honorificam, & ipsa, ut existimo, dignam, ædere uolui. Tibi autem, Georgi, præcipue dicendam cum ea, quæ de ratione studiorū est addita, & à me paulo ante in publico habita, censui, quòd & unus ex meis optimis, & uetustissimis amicis esses, ac unà mecum patrię studiosissimus, nec uolo in ea re magni muneris momentū aliquod haberi, sed mei erga te amoris, & beneuolentię significationē, atq; testimonium nostrę coniunctionis, quę incepit ab eo usq; tempore, quo Ingelstadij periclitatus sum de uita in Danubio, te presente ac ferente adollescente

lescente adolescētulo mihi, quibus
potuisti modis, auxiliū. Vtinā uero
bene sit ei piscatori, qui me tū diu
nitus nobis oblatus, ex manifesta
morte liberauit, ac perfecit, ut ad
hanc ætatē peruenirē, et multa uide
rem, ac discerem, quę immortalitati
ac æternæ uitæ plurimū essent pro
futura, & ex hoc mundo in eū quē
expectamus, futura ueluti uiaticū.
Huius beneficij memoriam perpe
tuam conseruabo. Deus Opt. Max.
adsit nobis, & spiritu filij sui regat
nostras mentes, ut uita, & alijs innu
meris donis & beneficijs, quę nobis
quotidie largitur, ad ipsius gloriā,
et Ecclesię ac nostram salutem possi
mus uti. Vale, ac me, ut facis, ama.

Dat. Viteberge, vi. Non, Jul.

Anno post natum

Christum

1541.

ENCOMIVM

PATRIAE.



Inescirem Auditores,
cur hæc dicendi con-
suetudo inuenta esset,
atq; tanto studio, cu-
ra, & consensu cole-
retur à doctissimis qui
busq;, & conseruare
tur, mirarer, ac tan-

tum non agrefcerem, quòd, cum res adeo multæ, uir-
tutes, & facta, & homines, adeoq; bona omnis ge-
neris, iam fortune, iam corporis, iam animi lauden-
tur penè quotidie, nonnunquam stulticia, pauper-
tas, febris, & aliamala celebrentur, & prædican-
tur miris modis, & pleno, quod aiunt, ore, pauci
admodum adhuc fuerint, qui singulari aliqua dili-
gentia patriam hoc laudationis & prædicationis
honore affecerint, quæ reliqua serè omnia continet,
ac, ut inquit Cicero, omnes omnium caritates com-
plexa est. Solent enim tum scribi, tum haberi tales
orationes ad hoc, ut uel ostentetur, uel exerceatur
ingenium & stylus, & cogitandi, scribendiq;, &
dicendi

dicendi facultas. Hanc ob causam etiam quæri et sus-
mi aliquando solent argumenta, quæ plurimū diffi-
cultatis et absurditatis habere, quæq; à cōmuni ho-
minum captu & iudicio procul remota esse uidean-
tur. Quamq; & aliam causam, quare patria minus
celebretur, præsertim hoc tēpore, suspicari aliquan-
do cogor. Venit hoc mihi in mentē, literatos magna
ex parte nō in patria, sed alibi, nō solū illud tēpus,
quod excolendis studijs debetur, sed totā uitā etiam
traducere, ac ideo fortasse propter nescio quā uere-
cundiam nō dare hanc operā patriæ, ut generatim
ita laudibus eā celebrent, ac illo cōmuni uelut mun-
do quodā uestiant ac ornēt. Si modo sunt qui nō uī-
dent eos, qui discendis artib. liberalib. se dicauerūt,
in ea re nihil reprehēdi posse, atq; multo aliā uiuen-
di rationem eorū esse, q̄ aliorū hominū, ac nō multū
differre his maxime seculis eos ab illis, qui militiam
exercēt, ac arma tractant, idq; pro certa quadā ho-
rū temporū cōsuetudine, laudabili, ut existimo, nec
inhonesta. Nā si per se turpe, aut probro dignū est
τὸ τῆς ξενίσεως, ut uult Lucianus, nō tantū qui
scholasticā uitā degūt foris, ut ferè faciunt, in magno
quodā errore uersantur, et in manifestā turpitudinē
se conijciunt, uerū etiā et milites et imperatores ac
duces, adeoq; negociatores, et oēs qui aliqua de cau-
sa quantumuis iusta aut recta peregrinātur, quorū
pleriq;

pleriq; tametsi diu uiuant, non tamen unquam re-
uertuntur in patriam, ac perpetuò in alienis locis
degunt, nulla necessitate aut calamitate impediti, si-
ue quia Reipub. uolunt consulere, illam defendere,
iuuare, aut ornare, siue quia rem familiarem, opes,
copias, facultates conseruare, augere, illustrare stu-
dent, aut etiam propterea tantum, ut alienis pro-
sint, ut quorum usus in patria non sit necessarius,
imò etiam, ut sæpe accidit, superuacaneus, ac pror-
sus nullus. Multitudo enim aliquando maior est,
quàm ut una ciuitas possit omnes capere, aut alere,
aliquando plures artifices insignes in uno loco sunt
quàm ut nequeant sine tum suo, tum patriæ damno
mutari ciuitate ac sede, ne dicam ex ea re multum
sæpe laudis, & ornamenti, gloriæ, famæ, admiratio-
nis, dignitatis, honoris, cõmendationis, studij, amo-
ris, & beneuolentiæ apud externos accedere ciui-
tatibus, si uelut in colonias patiantur suos ciues aliò
concedere, quibus abundant ipsæ, tantumq; nõ gra-
uentur. Ibi qui morem gerunt patriæ, seruiunt eius
commodis, ac tanquam locum dant, peccare ne dici
possunt? aut propter hoc officium reprehendendi
sunt? Nequaquam. Si quid autem peccatur, à pa-
tria peccatur, quæ iubet hoc fieri. Quanquam non
uideo, quid in eo sit uitij, cum pulchrum sit atque
gloriosum, ita foecundum esse locum, ac fracem ho-
minum,

minum, ut super sint potius ei defensores, & adiutores, quam desint, nec in Romana Repub. unquam fuerit colonias deducere, & exonerare ciuitatem turpè, cum sæpe fuerit periculosum, & exitiosum, non esse iustum numerum habitatorum & in illa, & in alijs ciuitatibus. Deinde sicut honeste ex familia copiosiore dantur aliqui in alias familias, atq; augetur ciuitas, ita ex ciuitate referta ciuibus, aut dare ciuitatibus, quibus opus est eo, quo nos abundamus, aut mittere in uacua loca partem uelut copiarum urbanarum ad ædificanda mœnia, colendos agros laudem etiam habere puto, non tantum nullam turpitudinem. Sed, quod iam dixi de militibus, ducibus, & Imperatoribus, ad id mihi dixerit aliquis, non absunt illi suo nomine, sed Reipub. nec possunt cum hoste simul dimicare, & intra patriæ mœnia uersari. Scholastici uero, & alij nonnulli exeunt, ac absunt patria suo nomine, propter sua commoda. Non ualde contra illum pugno. Sed hoc uelim eum scire, nec militares homines cuiuscunq; ordinis ita Stoicos esse, ut omnia referant ad salutem, utilitatem, dignitatem, gloriam patriæ, & nihil sibi quicquam illos relinquere, nec aut studiosos doctrinarum, aut aliarum artium, aut negociatores (nam hos intelligi isthic maxime puta) ita Epicureos, ut suorū emolumentorū causa omnia faciant,
G nihil

nihil cogitent de communi, de patria nunquam solliciti sint, nihil patriæ prodesse uelint, nihil eam iuuare, nihil honestare, nihil ornare. Si enim, ut erga parentes amorem quendam peculiarem natura nobis ingenerauit, ita nos incitat & extimulat eadem ad amandam & complectendam patriam, ne quidem recipit humanus animus, nisi prorsus transformetur, hanc ferocitatem tantam, ut prorsus omnem curam & studium in patriam exuat, deponat, ac abijciat. Quid quod ij magna ex parte cōcedunt aliò, ut redeant olim in patriam, ac eam adiuuent, aut mercibus importatis, aut honestis, ac utilibus artibus, qua mercatura nulla est haud dubie nec fructuosior, nec uberior, nec honestior. Sed multi non redeunt, maximè literati, ac artifices, propterea ne, ut patriæ noceant? Non puto. Quomodo possunt absentes ei prodesse? Multis modis, ac ut nihil proficiant, non obesse tamen queunt, nec omnino est nihil medium inter id quod prodest, & illud quod obesse dicitur. His, & illis quæ suprâ sunt eadem de re dicta, satis planum factum esse arbitror, non solum, cur parcius eruditi patriam laudent, sed etiâ quòd nulla sit planè turpitudine per se, aut òvdol & extra patriam uitam transigere uel totam. Quanquam hoc possum dare, felicitatis quandam partem esse non ita contingere, ut manendum sit alicui foris, ac patriæ,

patriæ, id est, loci, in quo natus, educatus sit, repta
uerit, conspectu carendum, non tamen, si secus acci-
dit, propterea turpiorem uitam ille uiuit, ac nõ lon-
ge aliud est infelicitas, quàm turpitude, & aliud de-
esse aliquid felicitati, aliud honestati, aut uirtuti.
Fræterea post Antonini Imperatoris tēpora uelut
una ciuitas, & patria constituta est totus orbis Ro-
mani Imperij, nec aliud est nunc esse ciuem Roma-
num, quàm in hoc Imperio comprehendi ubicunq;
habites aut uerseris: Ad quod etiam Claudianus
alludit, cum ait:

Hæc est, in gremium uictos quæ sola recepit,
Humanumq; genus communi nomine fœuit
Matris, non domine ritu, ciuesq; uocauit,
Quos domuit, nexuq; pio longinqua reuinxit.

Hæc initio nostræ orationis dicere uoluimus, ut eo
facilius, quæ de laudibus patriæ narrare proposi-
tum erat, narrarentur. Rogo autem à uobis Audi-
tores, ut æquo animo, ut hæctenus fecistis, deinceps
quoq; me audiatis, putetisq; unumquenq; suæ pa-
triæ hoc officium debere, ut hoc genus laudationis,
undecunq; ueniat, & quaecunq; alioqui sit, modo
sincerum sit, ac studium, aut uoluntas ei non defue-
rit, non grauate accipiendum, ac potius amandum,
& magnificandum esse. Ego quidem utrunq; fa-
teor, & studium ac uoluntatem eam fuisse, quæ de-
beat esse

beat esse, & uires ita imbecilles, ut hoc onus eas lon-
ge superet. Tanta res est patria, tam plena laudum,
splendoris, dignitatis, reuerentiæ. Cui enim nomen
ipsum non sit carum & sacrosanctum, quod à patre
factum est? Quis autem non colit, complectitur, &
exosculatur patris nomen, quo nullum est dulcius
aut amabilius adeo, ut Deus ipse uoluerit eo nomi-
nari, & Poetæ cum suauissimè & uerissimè de ipso
loquuntur, patrem eum appellant:

ὦ πατέρ ημετέρη κρονίδα ὕπατε κρότων.
πατήρ ἀνδρῶν τε, θεῶν τε.
Diuum pater, atq; hominum rex.

Iuppiter omnipotens.

Quid enim est Iuppiter aliud, quàm iuuans pater?
Hinc uenit patriæ uocabulum, Auditores. Quam
ob causam? Propter similitudinem credo et cogna-
tionem rerum, quas significant. Est enim patria lo-
cus, in quo quis natus est, ac educatus. Ad hoc autè
ante omnia requiritur pater, quem quia dat aliqua
terra, patria dicitur. Non autem solum patrè dat,
sed omnia, quæ uel ad patris, matris, cognatorum,
amicorum, uel ad nostram salutem & uitam spe-
ctant, largitur. Quare præferenda etiam est amo-
re, & officijs parentibus, à quibus tamen illa accipi-
mus, pro quibus nunquam satis fieri potest omnium
eruditorum & honestorum uirorū sententia. Non
enim

enim tantum procreauerunt nos, uerum etiam, edū
cauerunt, docuerunt tum uirtutem & honestatem
diligere, & sequi tanquam ducem, tum religionem,
quo non est nec ad probitatem, nec ad pacem, &
tranquillitatem ullum uinculum aut melius, aut fir-
mius, aut durabilius, nihil secundum Deum ad ue-
ram & aeternam felicitatem praesentius, nihil cer-
tius. Cum quantis autem laboribus, cum quantis mo-
lestijs, cum quanto metu, cum quantis etiam dolori-
bus ista omnia fecerint, ne cogitari quidem à quo-
quam, nedum dici & explicari uerbis potest, nisi
qui pater aliquandiu fuit, ac rem est expertus. Non
enim sunt homines ij, si modo sunt aliqui tales, qui
nulla cura de liberis & solitudine tenentur, sed
abiecto paterno affectu, non in bestias degeneraue-
runt, quae prolem curant, sed in stipites & caudi-
ces, aut in monstra quaedam, ac naturae ludibria.
Quid enim est tam secundum naturam, quam se-
ipsum, ac sui tum animi tum corporis partes dilige-
re atq; cōseruare? Iam nihil aliud sunt liberi, quam
pars quaedam nostri, uel potius alteri nos. Rena-
scuntur enim parentes in liberis quodammodo: Quae
causa etiam est, cur ad procreandum ita homines in-
citantur. Cupiunt enim natura, quam diutissime in-
uita manere (praestantius enim est, ut philosophus
ait, esse quam non esse) quod quia in se non possunt
G 3 facere,

facere, faciunt hoc in liberis suis. Quia uero ex nobis prodeunt, aut sunt aliquid nostri uelut pars quaedam, non possumus non amare, curare, fouere, alere, & educare liberos non minus, quàm nos ipsi curamus, ac diligimus. Hinc etiam aestimari potest, quantum liberi parentibus debeant. Cum enim uita sit una de rebus, quas habemus carissimas & dulcissimas, parentes autem eius nobis sint authores, nihil est, quo tantum eis beneficium persolui possideatur, ac ne quidem, si uitam, quam accepimus, pro eis amittamus, & tantum beneficium reddamus. Quantum enim est hunc pulcherrimum ornatum uniuersitatis rerum, unde mundi nomen etiam accepit, aspexisse? Quantum est solem, & alia caelestia lumina, quantum tot animantia, arbores, herbas non solum uidisse, quod tamen est per se iucunditatis & aenitatis plenissimum, sed etiam infinitas utilitates ex eis percepisse? Quid dicam de terra ipsa? quae cum in medio pendeat, ac suo pondere librata plurimas res contineat, & aspectu gratissimas, & usu commodissimas, plena est admirationis, certè uenerationis tantae, ut prisca diuinitatem ei tribuerint, eamq; uoluerint rerum omnium, etiam Deorum esse matrem? De aqua uero, aëre, ac igne, malo tacere quàm dicere, quod non aut ipsis aut uestris auribus dignum sit. Ac sanè quicquid sumus &

mus & ipsi, & aliæ res in hoc mundi cultu, quibus
rebus utimur ad uitæ nostræ tum conseruationem,
tum cultum, & oblectationem, & suauitatem, ni-
hil sumus, nisi uelut miracula quædam, ac Dei natu-
ræq; imagines & simulachra. Sed quorsum hæc?
Ut uideretis, Auditores, à parentibus nos habere
quod sumus, & quidem homines, hoc est, uiuæ diui-
nitatis effigies, & his rebus omnibus tantis & tam
admirabilibus utimur, aspiciamus eas, & ex aliqua
parte cognoscimus uim earum ac naturam. Quid
utimur dico, aspiciamus, cognoscimus? An non hoc
etiam nobis tribuunt parentes, ut rectè utamur eis,
aspiciamus, et cognoscamus eas. hoc est, ut bene bea-
teq; uiuamus? Tribuunt profecto. Vn de enim est
uirtutis doctrina & studium? unde honestarum ar-
tium cura, & tractatio, uirtutis exercitium? un-
de pietatis deniq; et religionis cognitio, sacrorum,
et ceremoniarum ritus? Nonne à parentibus? Cer-
te sic est. Quid hoc autem ad patriæ laudes? Per-
multum. Hæc enim ista omnia complectitur, usum
rerum cunctarum, nos, coniunges, liberos, penates,
aras, focos, uirtutem, religionem, ceremonias, &
parentes ipsos: Et sicut Deus atq; natura præbent
hæc omnibus communiter, ita patria nobis ea donat
singulariter. Quæ laudes tantæ sunt, ut nihil eis
addi posse uideatur: hæc est una & certa causa
G 4 diligendæ

diligendæ & colendæ patriæ. Quid enim est me-
lius, quid præclarior, præstantior, quid iucundior,
quid dulcius, quid utilius hoc spiritu, quo reguntur
nostra corpora, cælo, stellis, elementis, animalibus,
plantis, & alijs infinitis rebus, uirtute, religione,
amicis, cognatis, parentibus, coniugibus, liberis, do-
micilio? Hæc uero largitur nobis patriæ, conser-
uat, ornat, & defendit. An non est impietas & sce-
lus requirere præter hæc & alia, aut potius non
sentire propter hæc ita obligatum esse patriæ, ut
nunquam sis ei re minima quidem ex parte satisfa-
cturus. Dictum est hæctenus, Auditores, à nobis
de præstantia, dignitate, ac utilitate patriæ, nunc
etiam uideamus, quàm honorificè atq; reuerenter,
ut quisq; fuit maximus apud ueteres, ita maximè
de patriæ senserit, ac locutus sit, ne putetis me qua-
dam ex infirmitate, aut mollicie tanti facere pa-
triam, & cum tanto studio laudes eius congerere,
non tam, ut uos incitem ad uirtutem, quàm ut ab ea
per istam illecebram paulatim abducam longius, ac
mei uos reddam similes, aut certe uobis persua-
deam, hunc in me sensum nõ reprehendendū esse, cū
Socrates interrogatus, cuius esset, responderit, se
mundanū esse tantus philosophus. Multaq; à multis
dicantur, quæ nequaquã nostræ sententiæ cōuenire
uideantur. Et quis nescit quanto supercilio dicatur?

Omne

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor,

Vt uolucris uacuo quicquid in orbe patet.

Fateor hæc dici, & istiusmodi longe plura, magnanq; speciem habere, sed ab ijs, qui magnificis laudibus etiam uexerunt patriam, ac alia pleraq; non tantum placere hominibus, uerum etiam fortiter ferire aures, ac magnæ sæpe admirationi esse, non ideo, quòd sint ne quidem uerisimilia, nedum uera, sed quòd sint aut noua, aut absurda. Platonis quidem libri satis indicant Socratem non odisse patriam, aut nihil se præ alijs terris ei debere non censuisse. M. Cicero copiose quidem hanc Stoicam & fictam in natura hominis & *ἐν τῷ ἀνθρώπῳ* prædicat nonnunquam. Sed quantis laudibus idem afficit patriam? Quàm debere nos ei multa uel exemplo suo docet, ac hortatur ad eam complectendam & defendendam? Quare talia dicta & disputationes aut simpliciter abiiciendæ sunt, & damnandæ, aut ita accipiendæ, ut prosint fortitudini, & constantiæ, caritati patriæ ne noceant. Nihil autem uetat hoc facere, atque ego ita quidem ista intelligo. Vertendum est alicui solum exilij causa, non propter aliquod peccatum aut culpam. Quid faciat? Desperet? Nequaquam, sed fortiter ferat suorum ciuium iniuriam aut necessitatem, ac fortunæ impetum, consoletur se innocentia sua, & recti conscien-

G 5 tia, co

na, cogitet solam culpam bono uiro præstandam
esse, nec fortis uiri animum uinci, aut expugnari
posse. Atque hoc puto esse quod dicitur, Omne so-
lum forti patriam esse. nec est bene informatus à na-
tura ullus homo, qui non amet patriam, & ei quàm
plurimum acceptum referat, ac sentiat, mortem
etiam pro ea, si opus sit, oppetendam esse. Mihi cer-
te nunquam uenit in mentem patriæ meæ sine ma-
gna quadam animi, & dulcissima sæpe affectione
præsertim ocioso, & liberioribus cogitationibus
tanquam prodeambulanti. Pono mihi ob oculos nõ
solum ædes paternas, in quibus interdum cum rudi-
menta religionis ac uirtutum didici, tum uarios ac
infinitos ludos exercui puerulus, noctu somnum ce-
pi. ac tutus fui aduersus frigoris, imbrium, uentorũ
iniuriam, adeoq; contra ipsarum tenebrarum ac no-
ctis terriculamenta, aliq; incommoda munitus, ue-
rum etiam uicinos fonticulos, stagna, syluas, mon-
tes, hortos, prata, quæ sunt ibi omnia saluberrima,
& amœnissima. Sita est autem in extrema ora Se-
ptentrionali Rheticæ, cuius adhuc nomen habet is
tractus nulli secundus aut soli fertilitate, aut multi-
tudine hominum, qui tum ad rem militarem, tum ad
literas & alias honestas artes fuerunt semper ido-
nei. Nomen est Vendinga, ueteris Germaniæ, &
multorum uicinarum oppidorum sonum referens,
confinis

confinis Norgauijs, quorum loca Narisci olim te-
nuerunt, à quibus mansit etiam, ut uidetur, appella-
tio, corrupta tamen, ut aliæ pleræq;. Ibi uero Deo-
rum, ac immortalem aut beatam uitam uixisse mihi
uideor, uacuis curis, plenus læticia, ludens, sal-
tans, equitans in arundine longa. Deierarem aut
has esse fortunatas insulas, aut similem huic uitam
illic, si usquam illæ sunt, agi. Quid nunc de tem-
plis ac fanis, quid de ludo literario dicam? Hæc ue-
ro ita me afficiunt, ut magis afficere nequeant. Re-
peto memoria conciones, ceremonias, sacra, cantile-
nas, dies festos, quarum rerum à cunabulis fui sem-
per studiosissimus, repeto literaria tyrocinia, præ-
ceptores, docendi ac discendi genus, et rationem,
graues sententias, præcepta magnorum uirorum,
de quibus pleræq; adhuc teneo, sodalitiæ repeto, lu-
dos scholasticos, et quid non? Dies me deficiat, si
omnia uelim enumerare, Adolescentes: nec pudet
me talium rerum mentionem apud uos facere. Et
cur pudeat? Quid enim unicuiq; uestrum est iucun-
dus auditu, quid suauius cogitatu, quid præstan-
tius habitu, quàm est sua patria? Poetæ fingunt
Medeam restituisse iuuenilem ætatem Aesoni soce-
ro suo, patri Iasonis. Id nihil aliud puto significare,
quàm renouatam esse illi sæpe memoriam anteaclæ
puericiæ atq; iuuentutis in patria prudentibus cogi-
tationibus

tationibus, & uelut internis ac domesticis quibusdam consilijs, à quibus etiam dicta est Græcis Medea. Hæ nimirum sunt herbae, hæc sunt carmina, hoc sacrificium, quo illa rem tantam effecit. Atque ita uidetis, Auditores, neminem esse tam senem, quin ei sepe liceat recipere pristinam ætatem, ac ita repuerascere, esseq; hac parte senectutem potior rem pueritia, quòd illa potest hanc recipere quòdammodo, quoties uult, illam hæc non potest. Ouidius in exilio constitutus, agendas sibi gratias Dijs immortalibus censuit, quòd mente & cogitationibus posset Romæ tum etiam esse, quando uersaretur in media Scythia: quanto magis nos uel gratijs fatigare debemus Deos, qui nobis tantum dederunt beneficium, ut mente non solum terrarum aut marium spacia transiremus, sed temporis ac annorum tantam seriem non aliter, quàm oceanum aliquem retro uelocissimè decurreremus. Hoc autem ego sepe facio, & quoties facio, recordor simul patriæ cum ijs commodis, quibus illa me affecit, ac ei tacitè gratias ago, siquidem referre nunquam adhuc potui. Non autem illa mihi per se tantum est cara, uel propter sua in me beneficia, uerum etiam propter uite genus, & uirtutes ciuium. Nullum ibi luxum, aut ambitionem uideas, non seditiones, ocium raro, non opes usura partas, sed deprehendas ueteris Germaniæ

mania uestigia quaedam expressa, frugalitatem, parsimoniam, simplicitatem, concordiam, laborem, et horum omnium gubernatricem iusticiam, ac Reipublicae curam. Non est Consuli turpe agrum colere, pratum aut hortum irrigare, saginare boues, ac alias pecudes curare. Ex his rebus certatim uictum quaerunt, rem familiarem augent, à negotiatione fugiunt, & abhorrent ceu à materia luxus, & multorum uitiorum, controersias inter se dijudicant ipsi & dirimunt sine Causidicis. Habent suas quasdam Leges, & paucas, non malas, ut opinor, cum raro negocium ad Principem deferatur, aut extrahatur diu. Quanquam hoc ciuium quoque moderationem indicat. Vere enim ille dixit, qui dixit, quòd, sicut ubi sunt multi Medici, ibi sint multi morbi, ita ibi multa peccata sint, ubi sunt multae Leges. Non tamen ullas honestas artes contemnunt, sed non paruam curam adhibent in instituendis suis liberis, ac sanè ut illa ciuitas habet mediocria ingenia, nec à literarum studijs aliena, ita non pauci bene, & liberaliter instituti reperiuntur in eius populo. Sed haec praeter propositum coegit me dicere amor, & studium erga meam patriam, non tamen à proposito aliena, ut arbitror, aut hoc loco indigna. Redeo nunc ad eam partem, quam ubi addidero, finem faciam dicendi, nec dubito, quin me sitis ijs animis, quibus

quibus hactenus audiuitis, posthac etiam audituri.
Atq; ut iterum uelut à principio quodam exordiar,
quis nescit Homerum omnis doctrinae ac sapientiae
uelut parentem, eiusq; dicta propemodum oracula,
non humanam uocem esse? At is quam reueren-
ter, quam religiose de patre loqui solet? ὦ ἄδελφοί
γλυκίον ἢς πατρίδος, ἔδὲ τοκίου γίγνε-
ται. Quod pulchre noster imitatus est:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos

Ducit, & immemores non finit esse sui.

Non enim putandum est ex opinione, aut animi quo-
dam arbitrio suscipi hunc amorem, sed est natura-
lis, nec est in nostra, sed nos in ipsius potestate su-
mus. Mouet enim, ducit, impellit nos etiam repu-
gnantes aliquando, nos, si naturae paremus, sequi-
mur. Quod ut in alijs rebus laudari debet, ita hic
maximè. Non enim hoc semper exequimur, quod
natura nobis praescribit ac mandat, imò raro hoc fa-
cimus, & sepius reluctamur ei, uicq; & impetu
aliarum cupiditatum rapimur aliò. Laus itaq; omnis
in parendo est, non in amando, quod naturae inest.
Quaquam inueniuntur, qui hac etiam parte non
dubitent bellum cum rerum natura gerere non tam
duri & asperi, quam aut malitiosi, aut iniusti, aut
nimis falsae gloriae cupidi. Nunquam enim quis-
quam mihi persuadebit, Stoicos ita animatos fuisse,
ut dispu-

ut disputauerunt & scripserunt. Vlysses magnus
Princeps hunc affectū sensit, ac naturæ locū dedit
Ἰσμενος δὲ καὶ πρὸς ἀποβρωσκοντα νοῖσασ
his γαίης, ut inquit idem Poeta Græcus: Noster
paulò plenius:

Non parua est Ithaci sapientia, sed tamen optat
Fumum de patrio posse uidere foco.

Nihil his uersiculis dulcius fingi potest, nihil cogi-
tari amabilius, adeo, ut etiam Stoicum flectere &
mollire queant. Huc nimirū noster quoq; Princeps
respexit, cum in Pastorali suo poemate sibi gratula-
tur paternarum possessionum recuperationem, &
deplorat aliorum infelicitatem, quòd expulsi pater-
nis sedibus oberraturi essent alij in alijs regionibus:

Nos patriæ fines & dulcia linquimus arua,

Nos patriã fugimus, tu Tytire lentus in umbra

Formosam resonare doces Amaryllida syluas.

Et, Fortunate senex ergo tua rura manebunt.

At nos hinc alij sitientes ibimus Afros.

Ite mea felix quondam pecus ite capellæ,

Non ego uos posthac uiridi proiectus in antro.

Dumosa pendere procul de rupe uidebo.

Carmina nulla canam non me pascente capellæ

Florentem Cythisum et salices carpetis amaras.

Quod cor hæc uerba nõ moueant? Quem animum
non adficient? Quid uero, quòd censuit pro Deo
habendum

habendum esse, cuius beneficio patriam receperat:

Namq; erit ille mihi semper deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

Vere Dei munus, & beneficium hoc est, à quocunq;
homine accipiatur, in patria uiuere, coniugem &
liberos alere sine turptudine & periculo, fructum
& suauitatem ex his rebus percipere, ferias inter-
dum agitare, conuiuari inter amicos & cognatos,
& affines, uicinos, & ciues. Atq; hoc est, quod ibi
sequitur:

Ille meas errare boues, ut cernis, & ipsum
Ludere quæ uellem calamo permisit agresti.
Quid nunc recitem illa grauiora, & austeriora de
Regulo, de Decijs, de Scipionibus, de Bruto, &
Q. Curtio, & alijs infinitis Romanis ciuibus, qui
omnes patriæ saluti suam posthabuerunt? Quid
aliarum nationum exempla persequar? Vsq; adeo
magna uis est huius naturæ legis, ut interdum co-
gat negotiatores homines auarissimos obliuisci uti-
litatis suæ, ac lucri, & patriæ saluti, aut utilitati
consulere. Cum secundo bello Punico exhaustum
esset ararium, ita ut etiam pecunia non haberetur
ad honorandos & colendos Deos immortales, pu-
blicani curauerunt suo periculo, & non paruo rei
familiaris detrimento, ut nihil ad splendorem &
magnificentiam publicis patriæ ceremonijs & sa-
cris de-

eris deesset. Simile quiddam fecerūt Matronæ, cū
Respub. non haberet aurū, quod uotum erat Apol
lini Delphico decimarū nomine. Donauerunt enim
patriæ sua ornamenta, ut hac religione solueretur.
Leue genus hominum sunt publicani, mulieres infir
mum, ac molle, facile decipi utrunq; potest, & fal
sa persuasione abduci a uero. Itane hoc de patriâ
diligenda, & iuuanda iudicium, & hæc nature
sententia peti & oppugnari debet ex hac etiam
parte? Nusquam poterit esse tuta patriâ? Sed quid
obijcitur publicanorum leuitas, & mulierum mol
licies? Cur non ita cogitamus? Publicani benefa
ciunt patriæ, sua commoda illius commodis postpo
nunt, cur non facerent idem aliorum ordinum &
constantiores & grauiores homines? Mulieres or
namenta, quibus nihil ferè carius habent, in usum
patriæ conferre possunt, ut bene sit patriæ, possunt
eis æquo animo carere, & uiri non conferrent ope
ram, studium, laborem, conatus ad dignitatem &
salutem patriæ? Bene habet res, non solum publica
ni & sceminæ hoc iudicant ac faciunt, Principes,
Reges, Imperatores, heroes, adeoq; uiri idem faci
unt. Thrasybulus cum uellet liberare patriam à gra
uissima & multiplici tyrannide, uoce quoq; insigni
& dignatanto uiro testatus est quantum debeatur
patriæ. Cuidam enim ex coniuuatis, qui dixerat ei,
H Quantum

Quantum beneficium conferes in patriam? quantum tibi debebunt Athenæ, si tua uirtute & studio libertatem recuperauerint? respondit: Dijs faciant ut tantum eis reddam, quantum beneficium ab eis accepi. Vidit honestissimus uir, nunquam pares gratias referri posse patriæ. Vidit hoc etiam Aristoteles magnus Philosophus, cum dixit, Dijs, & parentibus, & præceptoribus satisfieri non posse. Quid nunc dicam de nostris Principibus? Ex ijs uero, si quis res gestas eorum consideret, ut quiq; fuerunt optimi ac honestissimi, fuerunt autem plurimi, ita maxime & uoluerunt bene consultum patriæ, & ut esset bene, magno sæpe suo periculo, & multo sudore consecuti sunt, τῆς enim ἀρετῆς ἰσχυρὰ θεοὶ προτιθέουσιν ἔδνα, ut inquit Hesiodus. Et hæc est summa uirtus, hoc est, summum iusticiæ Principis uirtutis opus ita complecti patriam, ut, si opus sit, uitam pro ea non dubites amittere. Gestit mihi animus hic recitare, quæ fecerunt pro salute suæ patriæ Caroli, Othones, Henrici, & multi alij, qui nulla uirtute fuerunt inferiores nec Augusto, nec Antoninis, nec ullis externis Imperatoribus, quorum ut paucissimi fuerunt boni, ita nostrorum paucissimi fuerunt mali, ac plurimi boni: libenter etiam commemorarem paucas de multis maximis rebus gestis Maximiliani Imperatoris bellico

bellicosissimi, & sanctissimi aui paterni huius Caroli, qui Princeps & Imperator nulli est secundus probitate, mansuetudine, iusticia, clementia, quo non minus iuuat suos ille ciues nunc absens & mortuus, quam iuuat olim presens uirtutibus suis, & sapientia, qua fuit mirabili praeditus. Sed uideo uos orationis finem expectare, & ut Plato quondam fertur ad Antisthenem dixisse: Orationis mensura est auditor, non is qui dicit. Quare ab illorum laudibus abstineo, quae suum quoddam tempus & prolixius requirunt, melioremque praconem, quam ego sum. Et nihil addo praeter unum aut alterum adhuc testimonium uetustatis. Aristides interrogatus, quare maxime cruciaretur in exilio, respondit, Patriae probro, quod male esset auditura propter hanc iniuriam. A deo musitanda etiam est iniuria, & ferenda, si qua nobis infertur à patria, nec tam dolendum est malū quod nos patimur, quam quod iniuste fecit patria. Hic uero aperit se latissimus campus Graecae et Romanae historiae. Quis enim praecclarus ciuis non sensit in hac parte aliquam calamitatem & miseriam? Nota sunt uobis, quae scribuntur de Q. Maximo, de Q. Coepione, de P. Rutilio, de Socrate, Alcibiade, Themistocle, et alijs innumeris. Non possum praeterire silentio legem, quam Plato suae Reip. tulit honestissimam, et quae sola propemodum in

H 2 optimè

optimè constituta ciuitate, quæ tamen inter homi-
nes nulla est, sufficeret. Vult enim, ut qui seruiunt
patriæ, sine præmijs seruiant, & ne quidem ullam
occasionem esse, aut sermonem celebrari ad hoc, ut
pro beneficijs accipiantur munera, pro maleficijs
pœnæ, cum ea res sit difficilis et ad cognoscendum,
& ad præstandum, ac tutissimum esse, obedire legi
præscriptæ, hoc est, oriri disputationes, & conten-
tiones, ubi statuatur hoc discrimen, ac interim, ut
fit, ab agendo & consulendo in commune discedi.
Sed caput legis, & pœnam, quæ est constituta uio-
latori, ex ipso potius audite: τὸς τῆ πατριῆς
διακονῶντας τὴ δὴ ἰσχυρῶς ἡγεῖν ἡ διακο-
νεῖν. ὁ δὲ μὴ πειθόμεν & ἀπλῶς τε δυνάτω
ἄλλος τῆ δίκης. Non obtemperans, inquit, sim-
pliciter, hoc est, sine ullo discrimine, moriatur. Gra-
uis pœna est, & proculdubio manans ex media na-
tura, quæq; sententiam, iudicium, & uoluntatem sa-
pientissimi uiri de patria clare ostendit, quod mihi
ad meum institutum satis est, nec aliud ex hoc Plato-
nis loco requiro, quem si diligenter considerabitis,
Auditores, & iucundus erit uobis, & dignus ma-
gis ac magis uidebitur, quem sequamini, & tota ui-
ta uestra exprimatis, quantum ferent res humanæ,
& cuiusq; ingenium, & natura non obstabit. Sic
etiam alia, quæ dixi de laudibus patriæ, nisi et nota
nunc

nunc mihi, perspectaq; uestra erga me beneuolen-
tia, & hoc attentius, præsensq; studium, fauor, &
hic uultus uester me fallit, sat scio, accipietis, ut nec
immerito me hanc operam patriæ dedisse, & uobis
eam ardentius post hac, & syncerius amandam,
complectendam, iuuandam, & ornandam, quocūq;
officij aut beneficij genere, nec, si uita sit pro ea po-
nenda in periculum, aut nunc profundenda, graua-
tè id esse uobis faciendum, & quanquam natura
nos huc uocat, ac tantum non cogit, esse tamen ani-
mos nostros uelut languidos, & stertentes, nonnun-
quam talibus uocibus & sermonibus exci-
tandos, atq; per se patriam his lau-
dationibus dignam
existime-
tis.

D I X I.

H 3

DE STUDIO

RVM RATIONE

Oratio.



Am sæpe dictum est ex hoc loco nunc de tota Philosophia, nunc de partib. eius à multis eleganter et splendide, ab alijs de alijs, ut cum necessitatem mihi non solum tem-

pus, uerum etiam leges nostræ imposuissent, ut aliquid de nostra professione & doctrina dicerem, uehementer fuerim sollicitus, & diu multumq; cogitauerim, quomodo satis huic officio meo facerem, & hoc meum tanquam pensum absoluerem. Quamquam enim non ignorabam magnam quandam, adeoq; infinitam uarietatem orationis esse, ut quæ flecti multipliciter & mutari posset in omnes formas, uidebam tamen uires meas, & facultatem, si quam his annis, & hoc meo studio comparare potui, longe esse inferiorem, quàm ut sine fastidio de ijsdem rebus ad uestras præsertim doctissimas aures uerba facere

facere possem. Quare ueniam dabitls mihi, sicubi uidebor uobis eandem cantilenam toties antea cantatam repetere, nec magis cogitabitls, quid uos audire conueniat, quàm quid me meum ingenium & usus dicere patiantur. Quod si quis ex hac multitudine tam est tener, & delicatus, aut fastidiosus, ut nequeat omnino ferre hanc orationem æquo animo, is poterit, si non habet aliud, uel hoc uti remedio, quod est contra hoc genus morbi & fastidij præsentissimum, & notum, & parabile. Non enim potest mihi patrocinari, quod solet dici, & alioqui magnam habet uim, *δ'is ηοη τρις τὸ καλὸν*, cum tantum non millies nonnulla istorum que nos dicimus, dicta sint, nisi quis hic uelit mihi concedere, quod nihil prohibet fieri, ut, nescio quam, sententiam constituam. Quis enim nescit quid in aliarum rerum honestarum tractatione fiat? Deniq; nihil dictum est, quin dictum sit prius, ut inquit ille. Secus est de hominibus, & ijs, qui dicunt, & ijs, quibus dicitur. Sed quid me excuso multis, Auditores? Inueni propemodū uiam, qua non bis ponere crambem, ut prouerbio dicitur, queam uideri. Certe quantum uires meæ sinent, hoc faciam, & ut fecisse credar, conabor. De nostris quidem studijs dicam, sed ita, ut non ea laudibus ueham admodum. Iam enim sunt notæ, & hac in re sanè modū seruandum

H 4 censeo

6
censeo, ne quod uulgo etiam uitio uerti solet, nobis
quoq; obijciatur, sed quædam pueros ac adolescen-
tes admonebo de ratione discendi, & exercendi bo-
nas artes, ac indicabo eis, quem uelut cursum in suis
studijs tenere debeant, ut, quod sequuntur, & con-
sequi uolunt, sequantur quam optimè, & cõsequan-
tur quem faciliè. Non enim negari potest ordinẽ
& certam uiam ac modum in omnibus aut artibus
discendis, aut agendis rebus ualere plurimum, præ-
sertim in ijs naturis, quæ non excitent se ipsæ, ac fa-
cile & uident quid conducat, & hoc sua sponte, aut
leuiter pulsæ qualicunq; admonitione amplectun-
tur. Sunt enim tales, non tamen nisi paucissima.
Quanquam autem nihil dubito, quin de hac re au-
diant aliquando suos Præceptores ij, qui discunt
nostras literas, facturum tamen operæ precium ali-
quid me, & gratum plerisq;, si in tanta frequentia,
hoc loco & tempore meam sententiam paulò plu-
ribus uerbis & iusta oratione explicarem, existi-
maui. Hoc autem quie non potero facere, nisi alicubi
puerilius, ac liberius aliquando fuero locutus, &
de me ipso quædam, ac meorum studiorum ratione,
& de consuetudine horum temporum, atq; de per-
uersa quorundã in discendo uia, nolim uos offendi,
aut iniquis animis accipere, quæ dicam ipse æquissi-
mo, & optimo animo, ac studio cum ergo uos, tum
erga

erga nostras artes, & totam Rempublicam non
uulgari. Scio enim, quid meum officium requirat,
quantumq; Reipub. debeam, nec pudet me hoc fa-
teri: ac utinam sic me possem utrinq; gerere, ut si
nō prorsus nihil omisisse, quod ne quidem in ullum
hominem cadit, ne dum in me, nihil tamen uoluisse
omittere iudicari possim. Sed nunc non est uotis lo-
cus, ad rem ipsam potius uenio, de qua quidem ante
omnia uos hoc scire uelim, non me tractaturum esse
admodum auxiliè, quid alij senserint, aut ita, ut omni-
um iudicijs me confidam satisfacturum esse, quorū
alterum prohibet me facere temporum ratio, alte-
rum planè est impossibile, sed ea, quàm simplicissi-
mè potest à me fieri, expositurum, quæ mihi partim
propter certas causas, partim, quia sim ita edoctus
experientia, rectissima, et utilissima esse uideantur.
Ad quod cum uideam uestra mihi beneuolentia &
æquitate opus esse, rogo uos, ut hac parte mihi non
desitis, & efficite, ut qua humanitate antea non se-
mel erga me sum usus, eadem usum & nunc esse me
sentiam, & de uobis prædicare possim, idq; non mi-
nus est officij uestri, quàm est mei cauere quantum
possum, ne quid dicam uel me, uel hoc loco indi-
gnum, & aliud, quàm quod putem, & debere dici,
& ijs, quorum gratia est instituta oratio, ad studia
profuturum esse. Principio cum nunc didicerit

H 5 puer,

puer, aut adolescens, uulgatissima & communissi-
ma praecepta Grammaticae, ita, ut nunc teneat qua-
lecunq; discrimen partium orationis, & rationem
declinandi nomina, & coniugandi uerba, Syntaxin
etiam, hoc est, praecepta connectendarum uocum,
degustare debet, ac unà deinde magna cura, & stu-
dio conuicere ad hoc, ut mediocrem illarum rerum co-
gnitionem adipiscatur. Quod facillime fiet, si habe-
bit assiduum ducem, et monitorem sanum, peritum,
nō ambitiosum, aut inertem, aut impatientem huius
laboris adeo molesti, ut plerique ab eo refugiant,
adeo obscuri, ut nihil habeat ostentationis, adeo ta-
men utilis, & necessarius, ut nulla solida, aut libe-
ralis doctrina possit existere, ubi ille non est prae-
gressus, imò & praegressus, & assecutus aliquo
modo reliqua omnia studia per totam uitam. Hoc
enim audeo affirmare, fidelissimum esse illum comi-
tem, & certissimum in omni honestiore & iustiore
disciplina, praesertim nostris seculis, quando in ipsa
quoq; Italia uelut hospes, aut peregrina est Latina
lingua. Quocirca modis omnibus improbanda est
illorum negligentia & iniquitas, qui cum doceant
pueros Latinè loqui, non tamen hoc student in pri-
mis, ut perfectè Grammaticam illi discant, sed ne-
scio quos authores enarrant interim, dum inculcare
discipulis haec elementa debebant. Non reprehen-
do inter-

do interpretationem authorum, quæ est necessaria,
sed reprehendo ostentationem, & quòd non habetur
in eis delectus, & ea sæpe magis indicantur,
quæ ad Rhetorem pertinent, quàm ea, quæ sunt
Grammatici, aut etiam non diligenter initio, & pa-
ri propemodum cura deinde illa ratio, de qua loqui-
mur, tractatur, & exercetur. Incidi ego non semel
in adolescentes bonæ indolis, qui cum in hac schola
diu fuissent, ac fecissent magnos sumptus, & scribe-
rent nunc tolerabiliter pro sua ætate, non tamen
sciebant adhuc declinandi & coniugandi commu-
nes formulas, nec de ulla constructione poterant iu-
dicare, adeo, ut ignorarent, quæ uocabula præci-
pua essent in perfecto sermone. In eo uero pertur-
piter faciunt, & grauitèr peccant Magistri, si quo-
rum culpa, & pigritia tam nihil, aut peruerse di-
scunt adolescentudi tanta pecunia, tam longo tem-
pore, & in tanta parentum spe & expectatione.
Si enim sufficeret utcunq; linguam Latinã docuisse,
nullis propositis præceptis, & tantum ex usu quo-
dam, lectione, scriptione, auditione, stultè fecissent
prudentissimi homines ueteres Græci, & Romani,
quòd suos liberos tradiderunt docendos Grammati-
cam uiris eruditissimis, & nõ fuerunt contenti illo quo-
tidiano, & domestico, & publico sua lingue usu.
Quis enim nõ potuit Græcè aut Latinè discere sine
præceptis,

præceptis, cum is sermo fuerit illis populis uernaculis? Hi pepererunt nobis, ut de alijs disciplinis, & artibus, ita etiam de hac arte præcepta, non barbari. Quapropter nihil possunt illi suæ negligentiae prætere, qui non summo studio pueros destinatos Latinæ linguae discendæ, in hac declinandi, & coniugandi, construendiq; dictiones exercitatione detinent, monendo, exhortando, præcipiendo, minis aliquando & uerberibus, si opus est. Nam hic labor non tantum est Doctoribus odiosus & grauis, sed etiam discipulis, ac sanè à Repub. prouidendum fuerat, ne quis aliter uel institueret, uel institueretur. Eius enim permagni refert non solum ad laudem & dignitatem, sed etiam ad utilitatem, ut rectè homines in prima ætate informentur. Ne autem nimium Præceptores onerare uidear, ubi semel aut iterum, aut quoties cum alijs labores illorum (sunt enim uarij plerunq; ut ætates & ingenia discensuum sunt uaria) tum discipulorum captus & profectus, adeoq; mercedis ratio ferent, ad hunc modum exercuerint in una die pueros. Debent ipsi postea Præceptoris uestigijs ingredientibus aliquando non solum multas sententias, sed integras paginas examinare, & referre ad suas regulas, & præscriptas leges. Qui uero non habent, à quibus doceantur priuatim, ij multo magis hoc, & diligentius,

2
tius, maioreq; cura facere debent. Authores, in
quibus præceptorum uis & ratio demonstratur,
non sint quilibet, sed optimi, & qui credentem si-
bi, ut Quintilianus loquitur, minimè fallat. Sic
enim fiet, ut certo sciant ueteres & præcipuos ita
flexisse, & inter se coniunxisse dictiones, & insu-
per sonum quendam purissimæ & elegantis ora-
tionis in teneris annis inbibitum ad maturiorem æta-
tem secum afferent. Verissimum enim est, quod scri-
bit Horatius:

Quo semel est imbuta, recens seruabit odorem
Testa diu.

Sunt autem, de quibus loquimur, authores, Teren-
tius, Cicero, Iulius Cæsar, Virgilius, Ouidius, Li-
uius, Quintilianus, & similes, qui floruerunt illo
tanquam aureo seculo Romanæ doctrinæ. Sunt hi
simpliciter exponendi rudibus, aliquando Latinis
notioribus uerbis, aliquando uernaculis, ita, ut osten-
datur unâ diuersitas formularum loquendi, quæ se-
pe est in his duabus linguis, Latina, & uernacula
cuiuscunq; gentis. Atque hoc proderit partim ad
alia, partim ad instillandam curam, & acuendum
studium ac sollicitudinem infirmis adhuc naturis de
talibus rebus. Non fuerit etiam alienum obiter indi-
cari præsertim in Poetis, quæ figuræ carmen tan-
tum deceant, ac uel prorsus in prosa non sint usur-
pandæ.

pandæ, aut raro, & qua ratione, si quando sunt
usurpandæ. Hæc tamen initio parcè fieri debent,
procedente postea ætate, & aperiente se magis, ut
fit, intellectu, crescenteq; doctrina, copiosius, &
accuratius. Hæc autem cura & ratio figurarum ob
seruandarum ita est utilis & necessaria, ut per to
tam uitam nunquam deponi debeat ab ijs, qui stude
bunt Romanè, ac studere omnes decet, qui docere
alios uolent, & haberi literati, quamcunq; simul
professionem tractent. Quomodo enim non potest
esse scedissimum, qui uel ius Romanum interpretan
tur, uel Medicinam docent in scholis Latinis, uel
doctrinam religionis explicant apud literatos, non
eos malle puro, & proprio sermone uti, quàm con
taminato multis Vandalicis, & Gothicis tum uer
bis, tum formulis, perinde, ac si quis concionator,
aut Doctor Ecclesiasticus non suæ gentis aut popu
li què docet, uocabulis ubiq;, aut lingua studeret lo
qui, sed ex alijs atq; alijs linguis admisceret aliqua,
uel obscurandæ rei causa, uel ut ostentaret suam do
ctrinã, aut etiam, ut tegeret inscitiam, quemadmo
dum superioribus annis multi ad populos habebant
de rebus sacris semilatinas conciones ineptissimè?
Quis tales hoc tempore paulo, quod ad hoc attinet,
saniores, præsertim in his regionibus, ferret, aut sine
risu, & æquo animo audiret? Quanquam non sum
nescius

nescius, pleraq; in professionibus noua esse, propte-
reaq; ad ueterum etiam exemplum alienis uerbis
nonnunquam utendum esse. Totares in Theologia
est noua in hoc sermone, licet ergo et propter hanc
causam, & propter nonnullas alias hic maximè fi-
ctas dictiones cuiuscunq; generis (non enim unum
est) usurpare, studium tamen inelegantiæ, uel affe-
ctatio abesse debet, ac ea, quæ sumuntur ex alijs lin-
guis, aut finguntur, quantum fieri potest, mollien-
da, & tanquam limanda, hoc est, applicanda sunt
ad ueterem loquendi formam. Cuius rei præclarum
habetur exemplum in explicatione sacrarum re-
rum oratio Erasmi Roterodami, quo duce libera-
liorem doctrinam, uelut oculos quosdam, cæca pri-
us serè accepit Germania. Et recte est ab eo repræ-
hensus Longolius, magnæ alioqui uir industriæ &
doctrinæ, qui uoluit de præsentibus rebus, etiam
Theologicis, omnino ueteribus nominibus dici, &
disputari. Ius uero ciuile quis nescit in plerisq; par-
tibus mutatum esse, ac tantum non de integro con-
ditum? Eatenus concedatur sanè inauditis, uel non
usurpatis apud ueteres dictionibus in eius tracta-
tione uti, illis tamen, quàm his parcius & rarius.
Nisi quis putet non ita ius nouatum esse, ut opor-
teat propterea barbarum sermonem accersere, ac
omnia ueterum legum oratione, quæ est purissima,
adeo,

adeo, ut pulchrè Valla existimet, si omnes alij uete-
res Latini scriptores intercidissent, ex eis solis La-
tinam linguam restitui potuisse, ueterum, inquam,
legum oratione doceri, & exponi posse. Ac in ea
propemodum opinione & ego sum. Verum conce-
datur hoc tantisper, dum certum erit propria &
uetera uocabula non deesse, & à seipsis Iuricons-
ulti exemplum capiant, quòd in agendis causis
quisq; sua lingua, & uernacula hoc maximè stu-
deant, ut sint elegantes, ornati, & copiosi, &
quàm ridiculum sit, & nullo modo conueniat hoc
apud indoctos facere, apud doctos uero negligere,
quàm turpe sit apud literatos in schola non studere
facundum esse, aut Oratorem sine Grammatica ex-
hibere, quales multi & fuerunt superioribus secu-
lis, & adhuc sunt, cum ad uulgus, aut illiteratos
non modo Grammaticè loqui studeas, uerum etiam
ornatè. Hoc etiam ad Theologos pertinet, atque
nihil uetat utrosq; in duabus linguis & operam da-
re, ut sint elegantes, & quam sequuntur, elegan-
tiam assequi & præstare. Quid nunc dicam de Me-
dicis? ij uero minus habent excusationis, cum &
Græcis literis & Latinis ornatissimè & uberrimè
perpolitam artem habeant. Nescio tamen, quomo-
do ex illis pleriq; adhuc barbariem plerunq; am-
plectuntur, & tantum non colunt, ac uenerantur.

Nec mo

Nec mouentur exemplo præstantissimorum huius
seculi Medicorum, inter quos ceu lumen aliquod
Thomas Linacer merito constituitur, qui nihil ui-
detur intentatum reliquisse, nullum scriptorem nõ
legisse, ac ne quidem ueterum Romanorum legum,
ita, ut decuit ingenium tam felix lectione abstræ-
nuisse interim, dum hoc agit, ut non solum ipse per-
fectam prisca Latini sermonis cognitionem & fa-
cultatem sibi compararet, sed alijs etiam propone-
ret comparandam uia, & planissima, & breuissima
consilio non minus pulchro quàm utili, cum & per-
se res sit laudabilis, & homo sit natus non tantum
sua, sed etiam aliorum causa. Me quidem, cuius
ætas nunc ferè maturuit, quiq; in talium rerum stu-
dium & obseruationem semper aliquid operæ po-
sui nunc à prima puericia, non pudet hoc dicere, ac
ingenue fateri, quòd eorum librorum, quos ille de
Emendata Structura conscripsit, ac publicos fecit,
tractatione sim adiutus, & excitatus ad pleraq; di-
ligentius in hac exercitatione consideranda, inqui-
renda, & obseruanda, atq; censeo post prima ru-
dimenta Grammaticæ, hunc solum authorem suffi-
cere ad consequendam perfectam eius doctrinam,
& in hoc genere nihil esse hætenus compositum
& editum, & accuratius, & absolutius, aut me-
lius, ita, ut uideri possint, qui post eũ scripturi sunt

I de his

de his rebus, nihil aliud uelle facere, quam corni-
cum oculos, quod dicitur, configere. Nam ea, quæ
sparsa in multis scriptoribus iacebant, collegit, ac
redegit in eum ordinem, qui discentes plurimum iu-
uare potest, & insuper nonnulla de suo adiecit eru-
ditè, prout fuit ingeniosus, & egregiè doctus. Hoc
tamen etiam non est dissimulandum, quædam pau-
ca in isto opere mutari posse, quædam ei posse addi.
Verumq; est quod dicit Poeta: Nihil est ab omni
parte beatum. Hos Linacri libros ita commendo
uobis, Adolescentes (nam reliqui non habent opus
mea commendatione, ac ipsi per se uident, quid hac
in re facere se deceat) ut magis nequeam commen-
dare. Sed redeo ad illa, à quibus nostra digressa est
oratio. Proponant hunc uirum sibi Medici imitan-
dum, & habeant eum exemplum tractandæ suæ ar-
tis, quantum quidem pertinet ad sermonem, & con-
iunctionem eius cum arte ipsorum, sicut nec Iurisi-
consultis deest exemplum hoc tēpore. Quod uero?
Non unum, sed duo maxime insignia, Guielmus Bu-
deus, & Andreas Alciatus, uerum diuersa ratio-
ne. Quanam? Ut hunc in longioribus orationibus
imitentur, hunc potissimum in explicandis authori-
bus, in qua re satis perspicuus fuit, in altera obscu-
rior, & nimis grandis. Vterq; fuit ut Legum &
Iuris peritissimus, ita bene instructus cognitione tū
Latine

Latinae linguae, tum Graecae, imprimis Ebraeus. Prius tamen ita debent secum statuere & hi & alij, non esse impossibile, quod plerique tegendarum suarum cupiditatum causa uociferantur elegantiam, & uelut castitatem quandam orationis coniungere cum sua professione, quaecumque illa sit. Non enim patrocinator eis, quod impure interpretes scripserint, cum nihil uetet legere scripta, & exercere, aut tractare non corruptae modo Latinae linguae, sed aliarum etiam linguarum, quae totae sunt barbarae sine magno Romani sermonis incommodo, si cui non desit industria, aut sedulitas, maxime sana & recta ineuntis aetatis institutio. Quis nescit Mithridatem uiginti duas linguas, quot nationibus imperauit, sciuisse? Nonne Themistocles unius anni spacio didicit optime Persice loqui? De Crasso diuite illo quid dicam? Is cum administraret Asiam, expedite uti potuit omnibus Graecae linguae differentijs in reddendo iure. Non ergo debent indulgere adolescentibus causis desidiae, sed aliquid etiam curae & laboris puritati sermonis dare. Quod potest fieri, sine rerum, quas discunt, iactura, aut detrimento. Et liberale est, & plenum uerae dignitatis. Si enim possunt aliquid, in o saepe nimis multum temporis suffragari suis studijs, & tribuere poculis, deambulationibus, spectaculis, & alijs ludis, cur non possent
I 2 aliquid

aliquid detrudere, quod in re ponerent pulcherri-
ma, & suo munere dignissima, pro suo quisq; modu-
lo, ac natura? Non enim aut Erasmo, aut Linacro,
aut Budeo, aut Alciato sunt omnes ingenio pares,
aut labore potius, & uigilantia, quæ sæpius de-
sunt hominibus, ut mea fert opinio, quàm industria.
Cum ijs mihi res est, qui inciderunt in hæc tempora
eruditiora, & cultiora non paulò, quàm superiora
fuerunt, alijs ignoscendum est, ut quorum nulla sit
culpa, sed temporum, ita tamen, ut non aduersen-
tur ijs, qui rectum nunc in discendo cursum tenent,
ac ipsi pro suæ uitæ portione & ratione, in quibus
uersantur, negotiorum proprie loqui, & elegan-
ter studeant. Inueniuntur enim nonnulli tam uel cor-
rupti, uel inuidi, ut non possint æquo animo pati, ut
alijs contingant ea, quæ ipsis fortuna, aut Deus de-
negauit, Sunt etiam, qui, uel, ut illis gratificentur,
uel hoc facilius ad opes & falsos honores perue-
niant, aut omittant huius mundiciæ curam, & reue-
ra χρύσεια χαλκείωυ permutent, aut omnino
eam non attingant, aut eam sequi se, & colere dissi-
mulent, nescio qua ambitione, & stulticia perpulsi.
Ab istis omnibus fugere debent, quod sanè ad hanc
rem attinet, ij, qui uolent olim docere cum laude,
& curare, ut bonæ literæ hoc est, purus sermo in
scholis retineatur, hoc est honeste & ex officio fa-
cere. Nos

cere. Nos uero, qui profitemur elegantiore[m] literaturam, quorumq[ue] propria serè est hæc cura, tanquam pro aris & focis debemus pro illis dimicare. Ac ego quidem pro uiribus, quàm diu uiuam, & mentem habebo, nunquam desinam literas & cultiorem orationem defendere, etiamsi perpetuum bellum gerendum esse mihi cum iniquis barbariei defensoribus, certum sit. Atq[ue] uos hortor et obtestor, Adolescentes, ut tota mente, & omnibus cogitationibus in hoc incumbatis, ut non solum discatis ipsi Latinè, purè, emendatè, & quantum fieri potest, eleganter loqui, & scribere, sed alios etiam uel doceatis, uel quomodocunq[ue] ad eam rem eis authores & adiutores sitis, aut certe minimum non impediat in hoc honestissimo cursu. Ac uehementer est mihi gratum & iucundum, quòd audio nonnullos aliquando in familiaribus colloquijs, aliquando in disputationibus loqui melius, & emendatius, quos bonam operam scio in discendis præceptis eius rationis, & exercendo stylo nauasse, quàm pleriq[ue] alij faciunt, nec minus ij de rebus suæ artis prudenter, profecto longe alijs expressius & enucleatius differunt. Qui si pergerent hoc unà conari, ut subinde purius loquerentur, aut certe nihil de superiore puritate amitterent, facerent, quod esset nobis multò gratissimum, & ipsis magna cum laude &

multa commendatione fructuosissimum. Ego quidem soleo priuatim consulere nonnunquam ijs, qui conferunt se ad *πραγματικας*, hoc est, uulgariores & communiores illas artes, ut singulis annis interea, dum institutam doctrinam urgent, semel relegant praecepta Grammatica, et aliquando scribant aliquid styli gratia, discrimen formularum purarum & impurarum obseruent, & discant, ut cum doctis tamen & mundiciae studiosis mundè queant loquicoràm, & per literas, cum balbis sanè balbutiant, ac uel toto, uel dimidiato sermone barbaro utantur, si res ita postulabit. Præterea monitos & hoc omnes uelim, ut siue se ad alias professiones conferant. siue non conferant, habeant delectum inter professores, nec omnes ad imitationem sermonis audiant. Quanquam tum feliciter in hoc studio uersabuntur, si nullæ uiuæ uoci credent in hac re ita, ut non potius credant mutis Magistris, ac demum se planè certos putent, si, quod ab alijs quantūuis doctis audiuerint, apud receptū aliquem & ueterem scriptorem legerint. Doctissimi enim nonnunquam indulgent consuetudini, aut morem gerunt ijs, cum quibus, uel apud quos loquuntur, atq; hoc in disputationibus publicis, ut nunc appellantur colloquia literatorum inter se in publico, multis alijs audientibus, maxime. Sed hoc non debebat fieri in nostri ordinis

ordinis colloquijs, nisi cum προεπιπλαῖς uelut
signo quopiam aut nota addita, qua dinosci posset
adulterium à genuino & legitimo. Deq; hac res sæ-
pe monendi erant priuatim adolentes à suis Præ-
ceptoribus. Hæc diligentia uel similis aliqua, si non
adhibebitur, paulatim irrepet iterum barbaries, ac
sermo iterum deprauabitur. Atque propter hanc
solam causam paulò sum crebris concertationibus
illis publicis iniquior, ac nescio, an ad hoc etiam fa-
ciant gradus, aut tituli scholastici, nisi in distribu-
endo & usurpando modus & ratio, magnaq; cautio
adhibeatur: ac nihil dubito, quin abusus harum re-
rum & pepererint, & auxerint, & tam diu con-
seruauerint barbariem. Sed non est instituti nostri
hæc omnia persequi, ac dabitur alio tempore occa-
sio fortasse de his rebus dicendi explicatius et ube-
rius. Nunc pergo paucis addere, quæ uolui, ad pue-
rilem discendi rationem, ac deinde finem faciam.
Vbi perceperint adolentuli rudem illam, et tan-
quam pinguis Mineruæ rationem contexendi Lati-
ni sermonis, maiora quædam audere debent, ac nas-
re, quod aiunt, sine cortice, aut extra nidum, et pau-
lò altius uolare aliquando. Primum in exercendis
duabus prioribus pro eo, ac uulgo numerantur,
partibus Grammaticæ, discendisq; perfectius bec-
erit eis adhibenda cura, ut suo quodā labore singulis

I 4 diebus

diebus duas horas, aut tres in eo scriptore, quem habent in manibus, quiq; à Præceptore exponitur, examinent multas sententias, & referant ad regulas Grammaticæ, nihilq; relinquunt inexcussum, quod pertinet ad declinationes & coniugationes nominum & uerborum, eorumq; ac aliarum dictionum aptam structuram. Atq; ijs magis hoc est faciendum, qui non habent priuatos magistros, ut est dictum etiam antea, ad quod cum familiaritas & consuetudo peritiorum adolescentum, & uirorum doctorum, si opus sit, consilium (Quis enim grauatè in tali re pauperculo suam operam det nonnunquam?) prodest, prosunt etiam dictionaria. Mihi uel temporum iniquitas, uel fortunæ, uel loci, denegauerat hanc felicitatem, ut haberem peculiarem inspectorem et gubernatorem studiorum meorum, adeoq; in publicis ludis potius docebantur, & insculcabantur nescio quæ suppositiones, restrictiones, ampliationes, appellationes, insolubilia, magis quàm sermonis puritas. Ac audeo uere hoc dicere, prius me didicisse pleraq; archana etiam Dialecticæ, quàm hoc puerile iudicium de oratione, quàm, quod quidem sciam, ullam epistolam scripserim, aut unquam stylum exercuerim: fueruntq; mihi notiores utræq; reductiones, ut uocant, syllogismorum, agenti annum duodecimum, quàm nunc ferè sunt.

Nolim


Nolim hæc sinistrè accipi, quæ simplici planè ac syn-
cero animo dico, & malle aliter me institutū esse.
Quanquam statim post illud tempus in nostris re-
gionibus cœperunt bonæ literæ efflorescere, &
uelut sol aliquis post densissimam & longissimam
noctem prodire, & illucescere. Atq; est, quod hoc
nomine Deo Opt. Max. gratias agam ingentes.
Quid enim ante annos triginta non discebant mo-
do, sed docebant etiam aliud maximis laboribus di-
urnis & nocturnis, quàm nihil sapere ut plurimū,
& putidissimè ac impurissimè loqui, ne dicam, an
garrere, & nugari, ac rixari. Sæpe ὄντως
σκιῶς, ut est in prouerbio: Sed utinam esset nunc
ea sedulitas, aut potius pertinacia discendi res bo-
nas & utiles, quæ tum fuit in discendis nugis ferè,
aut certe rebus contaminatissimis barbarie, sineq;
ordine aut ratione. Non enim desunt hac tempesta-
te ingenia, quanquam commoditates plerèq; de-
sunt, & occasiones. De qua re, si uellem, aut locus
esset, multa possem conqueri. Cum ergo spargi uo-
ces nonnullæ cœpissent de meliore forma discendi,
& in hoc ad nos aliqui libri perferrentur, excita-
tus & accensus sum magno studio legēdi & cogno-
scendi illa, quæ facere mihi ad cultum sermonis, &
sanam uiam doctrinarum uidebantur. Huius au-
tem rei principium & fundamentum consideranti

mibi partim soli, partim admonentibus Praecepto-
ribus tum uiuis, tum mutis, recentioribus tamen, &
sanioribus (fuerunt enim & hac parte foedo quo-
dam coeno cōspurcatae literae) quanta potui diligen-
tia certiore & planiore (Quis enim ignorat
quante salebrae & spinæ fuerunt in omnibus disci-
plinis?) uiam secutus sum, ac, ut dixi, imbibitis iam
primis elementis priuato labore, ac uelut meo quo-
dam Marte quotidie solus præter diligentem lectio-
nem recentiorum Grammaticorum declinabam no-
mina, coniugabam uerba, connectebam hæc inter se
in bonis authoribus, qui mihi exponebantur publi-
cè, quærebam rationes constructionum, & inuesti-
gabam, quæ orationes ad quas regulas pertinerent,
inquirebam uocum significationes et proprietates,
nec desinebam, donec de his rebus mediocre iudi-
cium comparauissem: Id quod fiebat ferè in duobus
annis ab eo tempore, quo egressus eram patriam, et
leuiter, & crasse communia præcepta nunc didice-
ram. Hæc adolescentum causa de me paulò, quàm
debit fortasse, præsentibus tot eruditissimis uiris,
liberius exposui, tum ut repeterem animo & ora-
tione illa tempora, in quibus apud nos renasci pul-
chriores disciplinæ coeperunt (Nam in Italia se-
ptuaginta ferè annis antè per Laurentium Vallam
restitutaerant apud quosdam) tum ut meo pueros
exemplo

exemplo incitarem ad fugiendam barbariem, et se-
ctandam cultiorem literaturam, non ut ostentarem
aut ingenium, aut diligentiam meam, in quibus si
quid est laudis, exiguum est, aut potius partim infe-
licitas est, partim turpitude, cum absunt illa. Sed
nihil dubito, quin bonis uiris & eruditis, quales
non pauci hic sunt, pulchrè sim excusatus. Porro
dum hæc ita pueri tractabūt, interim sine incommo-
do canendi artem et numerandi degustare poterūt.
Id ego sanè feci, nec huius facti me unquam pœni-
tuit. Scribent unà iam epistolia, iam fabellas, iam
historiolas, iam Chrias, usus Latinè Priscianus uo-
cat, nec abstinebunt exercitio styli, donec res totas
perdidicerint. Quanquam enim recte præcipit Fa-
bius, uerborum curam debere esse rerum sollicitudi-
nem, propterea, quod, ut Poeta monet, uerba pro-
uisam rem non inuita sequuntur, nihil tamen uetat
unà res percipere, & studere perceptas, & huic
ætati conuenientes (non enim est hæc rerum pror-
sus expers) Latina oratione efferre. Hoc non fru-
stradico, noui enim quendam, quo sum usus admo-
dum amicè, qui cum tantum legeret Aristotelem,
Euclidem, & similes, & nihil scriberet, & monitus
esset à me, & rogatus etiam, ut scriberet, ac stylum
exerceret, infeliciter hoc fieri dixit, ubi res dees-
sent. Infelicem uero, si nihil rerum in ea ætate ad-
huc sciuit,

huc sciuit, aut uoluit expectare, dum artes omnes
cognouisset. Verum ne alia causa fuerit, metuo,
quæ plerosq; absterret, aut retrahit ab hac utilissi-
ma studiorum parte. Sed nunc desino, ac iterum rogo
uiros doctos, ut hanc puerilem orationem puerorum
causa institutam & habitam, boni consulant. Adole-
scentes autem, ut hoc manibus quodammodo, pedi-
busq; enixè operam dent, ac efficiant, quantum cu-
iusq; ratio & industria patietur, ut sermonis puri-
tatem & discant, & retineant, alijsq; ad hoc facien-
dum, ut auxiliatores, monitores, uel authores sint,
omnes moneo, rogo, & obtestor, cogitentq;, ac sta-
tuant, ut in tota natura hominis oratione prestan-
tius & utilius nihil est, ita in scholis, quæ inde no-
men habent, & Latine dicuntur, emendatum La-
tinum sermonem & purum tantum esse or-
namentum, & non sine magna uti-
litate, quantum possit
esse maxi-
mum.

D I X I.




Fc 1233

ULB Halle
003 245 268

3



4
5b.





A M E R B A C H I V S
ensis, Iohanni Strubio
nsi amico optimo
S. D. P.

Vm his diebus nonni
hil essem ociosus, & ha
berem quandam à pu
blicis laboribus uacatio
ni, quomodo amicitia
m testatam facerem po
tero maxime commen
dis filiolis, ut aliquando,
iueremus, siue iam esse
acti, & cōtraherent ipsi
ter se, & constanter, &
eam colerent, sicut nos
adeoq; turpe sibi puta
m, ut sapientes recte uo
quæ parentes habue
is reuiuiscant, & reno
um hoc paterentur ue
m iacere, & perpetuo
A 2 sepul

